

DE DICTATORIS CAESARIS DIE ET ANNO NATALI.

Quod in omnibus rebus, quae factae esse dicuntur, difficile est, ut factaene sint necne invenias, id in historia vetere singulares quasdam habet cautiones, unde fit, ut indé leges quasi peti soleant, quas observantem recte iudicare liceat. Nam cum auctorum et exiguus sit numerus et ita finitus, ut vel nihil novum reperiatur vel si quid reperiatur, id cum iis quae extant comparatum parvum videri debeat, diversos tamen a nostris antiquitas habuit mores, diversas res publicas, diversas linguas, ut interpretatio diligens atque accurata nusquam plus valeat. Eademque de causa quae solet omnino esse inter viros doctos dissensio, ea nullo in quaerendi disputandive genere magis perspicitur. Aliorum enim hoc ingenium est, ut iis qui narrant plus tribuant ex utraque sua natura alienum iudicium non inviti subeant, alii ad dubitandum ac negandum propensiores sunt tantumque sibi sumunt, ut quod ipsi statuerint, omnibus statuendum esse existiment, a quo si quis discedat, eum erroris incusent. Quae diversitas non in singulis tantum hominibus reperitur, verum in totis aetatibus, quarum alia aliud studium sequi solet. Fuit enim cum in magna rerum exilitate hominum mentes ita comparatae essent, ut credere mallent quam dubitare quaeque ab auctore quamvis levi tradi viderent, ea tamquam sacrosancta acciperent. Nunc quia ingenti rerum ubertate abundamus, contrarius prope mos invaluit, ut in dubitando ac negando maiorem laudem positam esse censeant quique auctores parvi faciant, testimonia contemnant, ipsi nova proferant, unice veri inveniendi cupiditate duci videantur. Itaque fit, ut in litteris nostris iam vix quicquam supersit, quod immotum maneat, quod non nostri temporis vir aliquis doctus rectius sibi intellexisse videatur quam auctores qui tradiderunt. Inest enim in spernendis auctoritatibus hoc tamquam invitamentum, quod qui spernunt, dum quaerendi studio efferuntur, dum suis viribus confidere discunt, non modo sibi de sapientia sua persuadent, sed etiam ab aliis acuminis laudem facilius consequuntur quam qui inertia quadam in iis, quae tradita sunt, acquiescere videntur. Blandiuntur etiam sibi ipsi homines tantumque se profecisse glorientur, ut quae veteres auctores narrarunt, nunc se post tot annorum spatium longe verius perspicere existiment. In quo tamen quidam qui ad ipsam dubitationis laudem pertineat, error versatur satis magnus. Nam quoniam tantus fuit eorum qui omnia in dubitationem vocarent numerus, usu venit, ut qui veterem auctorem defendat ac vere tradere credat, idem nostrum aliquem virum

doctum, quocum communi studio coniunctus sit, quem magni faciat, quem bene de litteris meruisse videat, reprehendere cogatur, in quo periculum est maius. Livium enim si coarguas vel Ciceronem vel totam antiquitatem, quis ulciscitur? Immo laetantur suamque sibi sapientiam gratulantur. At si nostrum aliquem minus recte disputasse doceas, non modo ipse ille cum quo dissentias irascitur, verum etiam amici eius tumultuantes iniuriam sibi fieri paremque vel libertatem vel licentiam eripi querunt. Est igitur in iis, qui veteribus auctoribus credunt, non minus acuminis, fortitudinis quidem fortasse etiam plus. Ex utrorumque autem studiis, et eorum qui credunt et eorum qui non credunt, nascitur litterarum nostrarum quasi progressio, dummodo quicquid iudicatur, rite argumentis allatis testimoniisque examinatis demonstratur. Neque iudicio nostro qualecunque est, nocemus. Non de republica praecipimus, non de sacris liberique omnibus vinculis, quibus nostrae res constringuntur, in iis quae ante multa saecula fuerunt versamur.

Nos quidem hoc loco duas res persequemur, parvas illas quidem atque admodum tenues, sed multiplicis difficultatis plenas, ex quibus etiam maiora quaedam efficiantur. Earum natura ita diversa est, ut prior cum nullam virorum doctorum dubitationem moverit, merito tamen dubitanda sit, altera cum docte ac vehementer impugnata sit, verissima esse videatur. Nam de dictatoris C. Caesaris die natali certa prorsus tradi existimabantur non privata tantum idonei scriptoris fide, sed publica nobilissimorum monumentorum auctoritate, a qua discedere nullo pacto liceret. Quid igitur? Si doceam tamen eum diem, qui et tradatur et existimetur, non fuisse dictatoris natalem, atque ita doceo, ut nec dubitatio ulla relinquatur nec veteris aut scriptoris aut monumenti fides violetur, nonne res inter se contrariae coniungi videantur? Veruntamen est ita nec haec quae de parva re suscipitur quaestio non magno documento erit, iis qui veterum auctorum testimonia contemnunt non temere esse concedendum ampliusque inquirendum, dum quae inter se dissentire videantur concilientur moresque Romani perspiciantur.

Atque olim quidem qui de Caesaris die natali testis fuit locupletissimus Suetonius, temporis iniuria periit, qui quae de origine ac pueritia Caesaris scripsit si extarent, omnia, quae longa ac molesta disputatione supplentur, luculenter exposita haberemus. Nunc unus ex scriptoribus superest Macrobius Sat. I, 12, qui sic ait: *Sed postea in honorem Iulii Caesaris dictatoris legem ferente M. Antonio M. f. consule Iulius appellatus est, quod hoc mense a. d. quartum Idus Quinctiles Iulius procreatus sit*, qui quia coniunctivo utitur, ipsa orationis forma quod tradit, non ex sua se scientia, sed ex alio fonte repetere significat. Neque dubium est quis ille fons fuerit. Nam in calendario Amiternino ad a. d. IV Id. Iul. ascribitur *ludi feriae quod eo die C. Caesar est natus*, in Antiati *ludi divi Iul. natalis*. Ex quibus calendariis cum illud Tiberio, hoc Claudio imperante confectum esse constet, ad testimonia prope aequalium ascendimus, certe eorum, quorum tempore dictatoris dies natalis publice celebrari consuerit. Haec plana sunt neque ullam dubitationem admittunt. Quare quod Porphyrio ad Horat. epist. I, 5, 9 Caesaris natalicia Idibus Iuliis acta esse scribit, merito ab omnibus contemptum est, quippe librarii culpa vitiatum, itemque quod in Polemii Silvii calendario saeculi quinti medii ad a. d. VIII Id. Iul. ascribitur *natalis Iulii Caesaris*, quod eius qui scripsit errore ex vetustioribus calendariis ad alium diem translatum est.

Veruntamen Dio Cassius XLVII, 13 narrat, quomodo factum sit, ut Caesaris natalicia publice agerentur. Sic enim anno 42 a. Chr. III viri reip. const. qui ut sibi imperium confirmarent dictatoris memoriam omnibus honoribus afficiendam esse putabant, a senatu decernendum curarunt: *τά τε γενέθλια αὐτοῦ δαμνηγοροῦντας καὶ εὐθυμομένους πάντας ἐορτάζειν ἠγάγκασαν, νομοθετήσαντες τοὺς μὲν ἄλλους ἀμελήσαντας αὐτῶν ἐπαράτους τῷ τε Διὶ καὶ αὐτῷ ἐκείνῳ εἶναι, τοὺς δὲ δὴ βουλευτὰς τοὺς τε νῆες σφῶν πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ὀφλισκάνειν· καὶ (συνέβαινε γὰρ ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ τὰ Ἀπολλώνεια γίνεσθαι) ἐψηφίσαντο τῇ προτεραίᾳ τὰ γενέσια ἀγάλλεσθαι, ὡς καὶ λόγιον τινὸς Σιβυλλείου ἀπαγορεύοντος μηδενὶ θεῶν τότε πλὴν τῷ Ἀπόλλωνι ἐορτάζεσθαι.* Decreverunt igitur senatores primum de poena eorum, si qui ferias illas non observassent, ex quibus eos qui extra ordinem senatorium erant, Iovis ipsiusque divi Iulii quem modo consecrassent, ultioni reliquerunt. Unde factum est, ut ii lege maiestatis propter nomen divi Iulii violatum accusari possent. In senatores autem ipsos eorumque filios multam centum milium Hs. sanxerunt. Deinde de feriis quo eas die esse oporteret, senatus consultum fecerunt, quod cum interpretationem dubiam habere videretur, varias virorum doctorum sententias genuit. Fuit enim (Drumannus hist. Rom. III, 129) qui ex Dionis loco quicquam de die nataliciorum colligi posse negaret aut eum, qui in calendariis traderetur diem convelli. Anno enim 42 a. Chr. narrari Caesaris natalicia casu in eundem diem incidisse, quo ludī Apollinares essent celebrandi Apollinaresque incertis diebus, modo hoc modo illo die, ineunte tamen mense Quinctili consuevisse celebrari. Itaque uni tunc illi anno prospectum esse, de reliquis nihil praescriptum. Similisque est sententia Ioach. Marquardt (in enchirid. antiq. Rom. IV, 331), qui anno 42 a. Chr. natalicia a. d. V. Id. Quinct. acta esse scribit, cum Apollinaria a. d. IV. Id. easdem celebrarentur, reliquis annis in quos dies utraque inciderint, non addit. Haec interpretatio duobus vitiis laborat. Neque enim Dio de uno illo anno 42 a. Chr., in quo versatur, dicit, sed omnino ac quotannis natalicia Caesaris cum Apollinaribus ludis in eundem diem convenire eoque casus quem commemorat pertinet: id non modo ex silentio, quo unius anni commemoratio tacetur, sed etiam ex ipso imperfecto intelligitur. Deinde quod ludorum illos non certos sed eos qui quotannis mutarentur fuisse dies putant, id cum iis quae paulo post demonstrabimus, pugnat aperte. Aliter olim iudicavit P. F. Fogginus (Fastorum anni Romani reliquiae p. 123), qui quod Dio *τῇ προτεραίᾳ* ait, sic interpretatur, ut natalicia ante ludos Apollinares, i. e. a. d. III. Non. Iul. acta esse statuatur: cuius sententiam amplexus Th. Mommsenus (Corp. Inscr. Lat. I. p. 294 et 396) ut calendariorum testimonia cum Dione conciliet, hoc adiicit, anno 42. insequentibusque annis natalem diem a. d. III. Non. Iul. propter eam quae a Dione afferatur religionem esse celebratum, sed aliquot annis post neglecta religione in eum, qui in calendariis notetur, diem i. e. a. d. IV. Id. Iul. translatum. In qua disputatione tria improbanda esse intelligo. Nam contra morem Romanum est, quod religionis causa institutum est, mutare, nedum Tiberio iam imperante quod in divi Iulii nataliciis celebrandis religionis causa sancitum esset, neglectum esse existimemus: id quod si factum esset, quia magnum videretur, vel Dio annotasset vel alia ratione traderetur. Deinde *ἡ προτεραία* proximum antecedentem diem significat, non eum qui septem diebus antecedit. Denique cum non raro in vita communi accidat,

ut dies festus transferatur, diei intervallum toleratur, fortasse etiam bidui, sed ultra qui traici velit vix inveniatur.

Quare cum alia interpretatione opus sit, tria illa, quae dicta sunt, teneamus, primum quod Dio Caesaris natalicia in ludos Apollinares incidisse narrat, non ad unum annum 42. pertinere, sed ad omnes annos, deinde τὴν προτεράϊαν intelligendum esse proximum antecedentem diem, denique quod religionis causa decretum esset, apud Romanos non temere esse immutatum. Licebit enim omnia haec observantem tamen non modo Dionis, verum etiam calendariorum auctoritatem diligenter tueri remque ipsam quomodo gesta sit explicare.

Etenim ludos Apollinares institutos esse constat bello Punico anno 212 a. Chr. (Liv. XXV, 12; cf. Macrob. Sat. I, 17, 29) votosque deinceps quotannis, dum anno 208. lege ad populum lata sancitum est, ut in perpetuum in statum diem voverentur, quo facto, ut Livius XXVII, 23 ait, P. Licinius Varus praetor ipse primus ita vovit fecitque a. d. III Non. Quinctiles. Is dies deinde sollemnis servatus. Hoc loco magna quaedam difficultas existit, quae nisi per vim emendando tolli non potest. Nam libri manu scripti, in quibus nulla est lectionis diversitas, nullum praebent auxilium. Verum res ipsa est certissima, ut dubitari non debeat. Etenim cum Livius sollemnem ludorum Apollinarium diem a. d. III Non. Quinctiles fuisse narret, nunquam eos illo die actos esse constat aut quicquam omnino quod ad eos pertineret factum. Duas habemus eorum commemorationes, unam anno 190 a. Chr., quo Livius XXXVII, 4 celebratos esse scribit a. d. V Id. Quinct., alteram anno 44 a. Chr., quo Cicero ad Att. XVI, 1, 1 spectaculum aliquod fuisse ait Nonis Iulii venationemque editam esse a. d. III Id. Quinct. idem ad Att. XVI, 4, 1 testatur. Quare his annis quae ad ludos pertinerent, certe biduo post illum diem, qui a Livio nominatur, celebrata esse constat. Neque hac re movebimur, quod duorum tantum annorum memoria superest; unius enim ad diem Livianum redarguendum sufficebat. Siquidem qui in perpetuum et in certum diem voti essent ludi, eos ne semel quidem alio die fieri licebat. Ipsa adeo illa anni 190. commemoratio pugnat cum die, qui priore loco a Livio nominatus est. Nam cum a. d. V Id. Quinct. ab a. d. III Non. easdem septem diebus distet, quis paucis illis annis, quibus ludi instituti erant, tantopere eos amplificatos esse putabit? Imperium certe non creverat tantopere nec opulentia aut voluptas. Accedit autem calendariorum, quae Tiberio et Claudio imperantibus scripta sunt, testimonium maximum, in quibus ludi Apollinares ad octo dies, qui a prid. Non. Iul. ad III. Id. easdem sunt, extenduntur, ille qui apud Livium nominatur, dies vacat. Nam quod in Philocali calendario, quod saeculi quarti medii est, ad a. d. III Non. Quinct. ludi Apollinares ascribuntur, errore videtur esse factum nec certe tantum valebit, ut quid ante plus quam quingentos annos obtinuerit, demonstrare posse existimetur. Denique ad ipsum illum, qui apud Livium legi solet, a. d. III Non. Quinct., in tribus calendariis vetustis annotantur *poplifugia*, in uno etiam *feriae Iovi*, id quod cum religione ludorum Apollinarium pugnare paulo infra dicemus. Efficitur, ut in Livii codicibus peccatum esse videatur iussitque Merkel. ad Ovid. Fast. p. XXVIII scribi a. d. III Id. Quinct., quod idem viris in hoc genere peritissimis, Friedlaend. in Marquardt. enchirid. antiq. Rom. IV, 493 et Th. Mommsen. in Corp. Inscr. Lat. I, 396 placuit. Neque ipsa mutatio magna est. Quod enim in

codice scriptum erat ID, librarius male coniunctis litteris mutavit, ut N et Nonae existent. Quae coniectura cum alioqui simillima fuerit veri, tum iis quae de Caesaris die natali disputabimus, certissime confirmatur.

Quae cum ita sint, sollemnem ludorum Apollinarium diem anno 208 a. Chr. constitutum esse censemus a. d. III Id. Quinct. servatumque quam diu omnino illi ludi facti sunt constantissime. Veruntamen quid dicit Livius, cum eum, qui a nobis emendatus est, diem deinceps servatum esse scribit? Suo enim tempore non unum diem Apollinarium esse sciebat, verum multos calendariae octo continuos complectuntur, quibus omnibus ludos ascribunt, celebritatis ac voluptatis plenos. Cur igitur ille unum diem significabat? Nempe quod eum praecipuum et proprium et singulari religione praeditum esse videbat. Cui cum postea crescente imperii dignitate ac magnificentia dies festos augeri placuisset, reliqui dies antepositi sunt. Hic enim est mos Romanus, diversus a Christianis, qui augendi causa insequentibus dies assumere solebant, notatusque ab iis quos dixi viris doctis in omnibus festis nec recte impugnatus a I. Marquardt. (enchirid. antiq. Rom. IV, 453), qui quod Quinquatrus contra affert, earum rationem hanc potius fuisse, ut quinque dies ab ipsa origine pari honore afficerentur, ipsum nomen demonstrat. Sic igitur factum est, ut anno 190, quo a. d. V Id. Quinct. celebratum esse audimus, ludi Apollinares iam triduum complecterentur crevitque numerus tantopere, ut primorum imperatorum aetate octo dies consumerentur. Eundemque numerum intereuntis libertatis tempore fuisse intelligo. Nam quae anno 44 a. Chr. facta esse narrantur, aliter explicanda sunt atque explicavit Norisius (Cenotaph. Pis. II, 6), cuius sententiam minus recte Marquardt. probavit. Quo anno cave iis credas a. d. III Non. Quinct. ludos fuisse Apollinares, qui illo die nec fuerunt nec commemorantur, sed ex illo Livii loco, quem emendandum esse docuimus, excogitantur. Nimirum res sic acta est. Cum M. Brutus ille, qui dictatorem interfecerat, praetor urbanus esset odioque communi expulsus tamen gratiam plebis quaereret, ludos Apollinares suo sumptu per amicos magnifice edi iussit. Qui cum proscriberentur vulgusque ad spectandum invitaretur, nescio quo errore accidit, ut mensis Quinctilis a nomine Caesaris, quem coniurati sustulerant, cuius acta rescindi volebant, appellaretur Iulius, quem errorem cum vulgo in urbe riderent, ipse Brutus tulit aegerime. Qua de re Cicero ad Att. (XVI, 1, 1) sic scribit *Nonis Quinct. veni in Puteolanum. Postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi.* (Scripta igitur est epistola a. d. VIII Id. Quinct.) *Sed eo die quo veneram coenanti Eros tuas litteras. Itane? Nonis Iuliis. Di hercule istis. Sed stomachari totum diem licet. Quidquamne turpius quam Bruto Iuliis?* Quid igitur fuisse putamus in tabula illa, in qua ludi Apollinares a Bruti amicis proscriberentur? Nimirum ipsum quod Cicero habet *Nonis Iuliis*. Nam cum hic ablativus extra constructionem reliquam positus sit ac per se constet, eum ex tabula, quae Romae proposita erat, sumptum esse necesse est. In qua tabula si vel *III Nonas Iul.* vel *pr. Non. Iul.* fuisset, Cicero id non minus immutatum recepisset. Neque ante eum diem ludos Apollinares factos esse audimus, qui si facti essent, in tanta epistolarum Ciceronis frequentia nobis traderetur. Sequitur, ut M. Brutus anno 42 primos ludos Apollinares Nonis Iul. ediderit: tabula quidem, qua proscriptio continebatur, triduo vel quadriduo ante erat proposita. Aliter nuntius propositae ab urbe Neapolim usque perferri

non potuerat. Congruunt autem Nonae Iuliae cum eo initio ludorum, quod in calendariis notatur morientisque libertatis tempore eundem dierum numerum ludis comprehensum esse existimabimus, qui imperatorum aetate comprehendebatur. Etenim eo qui praecedit die, prid. Non. Iul., quo in calendariis ludorum initium notatur, nihil fiebat, nisi ut ludi committerentur, quemadmodum in calendario Amiternino et Antiati est, i. e. ut praepararentur, locus ipse adornaretur, reliqua, quae ad apparatus pertinerent, instruerentur, ad quas res spectandas non multitudo civium, sed periti quidam homines invitabantur. De eodem autem errore, qui M. Bruto tantum dolorem attulit, scribit Cicero in epistola paulo post data (ad Att. XVI, 4, 1) sic: *Ita ut heri tibi narravi vel fortasse hodie in Nesida VIII Idus. Ibi Brutus. Quam ille doluit de Nonis Iuliis! Mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut venationem illam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent III Id. Quinct.* In quibus de remedio quodam narratur, quod M. Brutus invenisse sibi visus est, ut Caesarem ipsum mensemque ab eo appellatum sibi displicere publice testaretur, nimirum hoc, ut pars aliqua ludorum, quos facturus erat, denuo in certum diem mensis Quinctilis proscriberetur. Verum de illo die, in quem primi ludi indicti erant, ex hoc quidem loco nihil licet perspicere. Nam sive in a. d. III Non. Iul. sive in pr. Non. indicti erant, Ciceronem, qui mentionem in reliquam orationem inserere vellet, ita referre oportebat, ut scriberet *de Nonis Iuliis*. Quare quod ex superiore loco de initio ludorum collegimus, id hoc non refelli intelligimus. At de venatione, quam Brutus postridie ludos Apollinares editurus erat a. d. III Id. Quinct. quid iudicabimus? Quam non putabimus ab eo praeter ludos insequenti die esse adiectam. Nam praeter illud munus, cui vetusto more praetorem urbanum praeesse oportebat, Brutus nec volebat quidquam edere nec per invidiam factionis, contra quam pugnabat, poterat diemque illum III Id. Quinct. ipso Apollinarium munere comprehendere necesse erat. Ludi enim ab Cicerone alio quodam sensu dicuntur, alio dicuntur et saepe alias et in calendariis, cum omnia celebrationum genera, quae in honorem dei fiunt, significantur. Hoc quidem loco distinguuntur a venatione intelligunturque vel scaenici vel circenses, quales a Bruto editos esse constat. Sic igitur factum est a Bruto, ut reliquis diebus usitata, eo autem qui praecipuus erat die eximium venationis munus exhiberet. Quod si quid praeterea insequenti die adiecisset, quia in eo nova proscribendi occasio fuisset, Cicero commemorasset. Efficitur, ut anno 44 quot dies et qui dies ludorum Apollinarium fuerint, certissimis testimoniis demonstrari liceat, i. e. biennio antequam illud, a quo digressi sumus, senatus consultum factum est: quem dierum numerum eundem in calendariis imperatorum aetate confectis perscribi patet.

Veruntamen ut ad eam quae commemorata est, ludorum Apollinarium institutionem redeamus, factam eam esse narrat Livius libr. XXV, 12 ex vatis illustris Marci carminibus, sed ita factam, ut de ritu celebrandi caerimoniisque libri Sibyllini adirentur, tantaque diligentia has caerimonias exponit, ut postea nihil additum nec rursus libri Sibyllini de eadem re inspecti esse videantur. Quare quod Dio Cassius ad annum 42 a. Chr. ait fuisse oraculum Sibyllinum, quo iuberetur *μηδενὶ θεῶν ἰότε* (i. e. ludis Apollinaribus) *πλὴν τοῦ Ἀπόλλωνι ἑορτάζεσθαι*, id referri oportebit ad illud, quod anno 212, cum ludi instituti sunt depromptum est oraculum, quo ludorum quasi ius sacrum constitutum est. Quam-

quam hoc ipsum quale fuerit, dubium videri potest. Initio enim unus dies fuerat ludorum, post fuit triduum, tandem octo dies omni genere voluptatis expleti sunt: num igitur quod ius fuerat unius diei, id ad reliquos omnes dies translatum est, an vero in uno illo, qui ab initio institutus erat, continebatur, ut ceteri dies liberi dimitterentur? Ac per se quidem hoc alterum probabilius est. Romani enim cum religionem constantissime retinerent, eandem tamen ita solebant temperare, ut publice non obstaret: magnum autem sane ac molestum erat octo dies eximi. Deinde Livium cognovimus ex his octo qui suo tempore celebrarentur diebus unum quasi sollemnem ac praecipuum notasse, qui nisi quid haberet proprium, facere id non poterat. Denique in calendariis Nonis Quinctilibus ascribuntur feriae ancillarum, quas si ludorum Apollinarium religio ad omnes dies translata esset, non liceret esse. Quas ferias Mommsenus, qui principem eorum diem ab reliquis non distingueret, propter illam libris Sibyllinis praescriptam religionem publicas populi Romani ferias fuisse negavit: Latinas fuisse maluit quam urbanas, quae coniectura nullo argumento confirmatur. Quare illo tantum uno, qui princeps erat, die a. d. III. Id. Quinct. alium praeter Apollinem deum coli nefas erat, reliquis ludorum diebus nova sacra addi licebat. Quamquam ne illo quidem uno omnia sacra prohibebantur, sed feriae tantum vetabantur. Id ex ipsis Dionis verbis si accurate interpretere intelligas, sed demonstrat etiam Dio XLIV, 4, qui anno 44 Caesari hoc datum esse narrat, ut natali eius die sacra publice fierent, neque id contra religionem fuisse addit. Neque enim tunc Apollini tantum, sed ceteris etiam diis pro salute dictatoris sacra decreta sunt.

Quae cum ita sint, iam Dionis verba illa, a quibus profecti sumus, ita interpretari licebit, ut cum veteribus calendariis congruere statuamus, ut in ipsis calendariis nihil, quod inter se pugnet inveniamus, ut ab more Romano non desciscamus, sed quod per rei ipsius rationem fieri oporteret, factum esse intelligamus. Nam anno 42 a. Chr. cum dictator in deorum numerum relatus esset natalique eius die non sacra modo publice fieri placuisset, sed communi omnium civium laetitia ferias tamquam deo agi, religio incessit ab ipsa ludorum Apollinarium origine repetita, quae ferias illas prohiberet sancitumque ut, quoniam Apollinis diem moveri non liceret, novi dei natalis in proximum diem antecedentem transferretur. Natus igitur est dictator a. d. III. Id. Quinct. ipso illo die, qui praecipuus ac proprius ludorum Apollinarium erat, quem diem et ipse celebrarat et aliis celebrandum permiserat, qui cum anno 42 feriae additae essent, in a. d. IV. Id. Quinct. translatus est. Ita notatur in calendariis, in quibus de translatione non adici non mirabimur, Macrobius autem sumpsit ex calendariis, qui si rei rationem cognosset, sine dubio addidisset: sed memoria ea perierat nobisque nisi casu Dionis narratio accederet, esset ignota. Itaque anno 40 a. Chr. M. Agrippa cum praetura suscepta ludos Apollinares celebraret, biduo circenses edidit (Dio XLVIII, 20), nimirum unos a. d. III. Id. Quinct. ipsi Apollini eo qui sollemnis eius erat die, alteros a. d. IV. Id. Quinct. divo Iulio, cuius dies natalis feriando agebatur, auctorque fuit circensium ludorum, qui sollemni more omnium postea imperatorum nataliciis edi solebant. Qui mos non ab Augusto (cf. ad Corp. Inscr. Lat. I, 380), sed ab ipso illo, qui primus consecratus est divo Iulio repetendus est. Neque eius origo obscura est. Nam ii ludi, qui sanguine vel hominum vel bestiarum effuso malum quasi omen afferre viderentur, nataliciis non placebant. Gladia-

tores quidem funebribus ludis conveniebant, venationem autem anno 44 a. d. III. Id. Quinct. M. Brutus spreto sollemni more ediderat, non tam ut Apollinis ferias celebraret, sed in contumeliam Caesaris a se interfecti, cuius ille tunc dies agebatur. In quo si quid offenderet, id laetitia plebis suppleri putabat. Itaque Agrippa id ludorum genus, quod secundum gladiatores et venationes maximam hominibus voluptatem afferre soleret, elegerat.

Diximus de die historiae Romanae, qui communi omnium auctoritatum testimonio tradi videbatur, mutando: de quo dum quaerimus, ad ius ludorum et nataliciorum moremque omnino Romanum delati sumus, ut de tantula re disputationem suscepisse non poeniteat. Gravior longe ac difficilior est de anno dictatoris Caesaris natali quaestio, quae non eiusmodi est, ut quisquam de eo qui traditur anno dubitare debeat, sed ut qui eum cum reliquis quae narrantur conciliare velit, in singulares quasdam angustias perveniat. Nimirum hanc sententiam habet Th. Mommseni coniectura, prolata in hist. Romana III, 15 saepiusque repetita, qui dictatorem biennio ante eum qui traditur annum putat esse natum. Qui si hoc sibi concedi vult, ut nos post tot saecula in tanta auctorum inopia sapientiores esse videamur quam qui ipsius Caesaris aetate omnibus testimoniis instructi narrarunt, nimium nobis tribuit. Itaque vix cuiquam qui sui iudicii esse vellet, persuasit, sed mire tamen virorum doctorum ingenia excitavit, qui quae obstare viderentur removerent. Hinc nata est praeclara Car. Nipperdeii disputatio de legibus annalibus, qui a Mommseniana coniectura profectus totum eum locum magna cum eruditione illustravit. Quem quidem locum nos hic praetermittere statuimus, non quod non sint quae adiici possint, sed quod intra angustiores fines contineri cupimus. Neque omnino quaestio sic videatur ratione suscipi, si quis aut de Caesaris aetate aut de legibus annalibus disputans ea, quae traduntur, ut cum altera disputatione conveniant, immutet, sed per se primum spectanda est aetas atque argumentis undique allatis examinanda, tum ubi de ea constat, separatim ad leges illas accedendum: quas cum eiusmodi esse videam, ut eas nondum quisquam se penitus perspexisse omnesque scriptorum de iis auctoritates satis explicasse ne gloriatus quidem sit, si alio ordine agatur, circulum quendam quaerendi nasci intelligo erroris plenissimum. Quare haec quidem disputatio nostra in una dictatoris aetate inquirenda ita versabitur, ut quae de ea narrantur, omnia examinemus praeter cursum honorum, quo usus est, quem vel omittimus vel seponimus.

Atque hoc loco rursus conquerenda est temporis iniuria, quae nobis vitae Suetonianae initium eripuerit: in quo quicquid de anno natali vel communi hominum opinione vel testimoniis diligenter expensis reperiri potuerat, perscriptum fuisse existimamus, neque si quid dubitationis esset, id silentio praeteritum esse reliquorum imperatorum vitae docent. Nunc tametsi de natali anno nulla memoria superest, de mortis tamen anno quod traditur breviter ac simpliciter, nullam de natali fuisse dubitationem demonstrat, vel si qua esset, eam levissimam ac facilem ad redarguendum fuisse. Nec vero errorem in natali anno aut constituendo aut tradendo intercessisse probabile est. Romani enim cum consulum eum nominibus insignire solerent, longe difficiliter peccabant quam nos qui in numerorum notis saepe fallimur. Neque illud credi oportet quod dictum est, veteres hominum et nascentium et morientium minus severam rationem inisse quam nos, qui publicis et legibus et tabulis astringamur, ideoque in Caesaris aetate non difficile potuisse errari.

Nam cum honorum praemia ex aetate penderent, quis putabit eius non exactissimam rationem esse habitam? In vulgo hominum ea fuerit negligentia: in Caesare, qui nobilissima gente ortus ab ipsa infantia oculos omnium adverteret ac vix ex pueritia egressus ipse inter principes numeraretur, temere id statui non debet.

Decessisse igitur Caesarem anno aetatis sexto et quinquagesimo tradit Suetonius (c. 88), itemque Appianus (bell. civ. II, 149), cum annum ageret sextum et quinquagesimum (*ἔτελεύτησεν ἔτος ἄγων ἑκτὸν ἐπὶ πενήκοντα*). Dionem Cassium miramur de aetate nihil tradere, sed in caede tristissima commemoranda tanta, opinor, maximarum rerum copia offundebatur, ut ad aetatem moresque notandos digredi non liceret. Unum illud habet, sane ambiguum, quod eum paulo ante mortem, cum ei liberorum procreandorum causa omnium mulierum connubium concederetur, quinquagenarium appellat, quo loco diligentem rationem eum inire noluisse apparet. Solus Plutarchus (c. 69) cum de natali anno taceat, mortuum esse scribit postquam vixit omnino annos sex et quinquaginta. Cuius testimonium contra Suetonium et Appianum contemnendum esse omnes consentiunt. Nam tametsi Caesar sexti et quinquagesimi anni partem maiorem vixerat ac quattuor tantum menses cum triduo ad eum explendum deerant, peccasse tamen Plutarchum patet neque eo quisquam ita usus est, ut Caesarem anno antequam a Suetonio traditur, natum esse statueret. Quae cum ita sint, Caesarem natum esse existimamus a. d. III. Id. Quinct. ann. 100 a. Chr. C. Mario VI L. Valerio Flacco cos.

Ex iis autem, quae de C. Caesaris vita traduntur, tamquam primam notam chronologicam afferunt ea, quae de C. Marii in puerum beneficio narrantur, in quibus duo optimi auctores inter se discrepare atque ab vero recedere videntur, ut viri docti alterutrum vel peccasse censerent vel emendarent vel denique, ne negotium sibi ipsi exhiberent, negligerent. Ac Suetonii quidem ab ipso initio eorum, quae de Caesaris vita extant, haec verba sunt: *Annum agens sextum decimum patrem amisit sequentibusque consulibus flamen Dialis destinatus dimissa Cossutia, quae familia equestri, sed admodum dives praetextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnae quater consulis filiam duxit uxorem, ex qua illi mox Iulia nata est*. Haec quia quae ab initio fuerant perierunt, obscura atque ambigua facta sunt. Nam si Caesar a. d. III. Id. Quinct. anni 100 a. Chr. natus erat (eandem autem rationem, quae in morte narranda ab Suetonio observata est, hoc loco observatam esse necesse est), sextus decimus eius annus ab eodem die anni 85 usque ad III. Id. Quinct. anni 84 pertinet, ut utris consulibus, L. Cornelio Cinna III Cn. Papirio Carbone, qui anno 85 fuerunt, an C. Papirio Carbone II L. Cornelio Cinna IV, qui anno 84 fuerunt, patrem amiserit incertum sit. Itemque incertum est, utri consules ab Suetonio sequentes dicantur, ii, qui anno 84 fuerunt, quos modo nominavi, an ii, qui anno 83 reip. praefuerunt L. Cornelius Scipio C. Norbanus Balbus. Nam de patre Caesare nihil notum est nisi praetorem eum fuisse ac subita morte Pisis decessisse (Plin. nat. hist. VII, 181). Neque ea ambiguitas ullo satis valido argumento, quod ex Suetonio repetatur, tolli potest; probabilius tamen mihi per se videtur esse, Caesarem, ne nimis adolescens matrimonium iniverit, anno demum 83 exeunte cum septimum decimum explesset uxorem duxisse. Ita patrem eius decessisse statuimus initio anni 84 ipsumque insequenti anno 83 et flaminem destinatum esse et uxorem duxisse, cuius temporis non leve indicium paulo post ex Taciti

verbis efficiemus. Iulia quidem, Caesaris filia, quo anno nata sit, ex nulla re alia perspicitur eamque propter ipsam, quae exposita est, rationem anno insequenti 82 tribuemus. Unum tantum ex Suetonio certe colligi licebit, togam virilem Caesarem sumpsisse antequam pater decessit et ante sextum decimum aetatis annum, quam si postea sumpsisset, Suetonius commemorare debuit; sed anno 85 an iam antecedenti, cum ex more liceret, sumpserit, rursus ignoratur.

At cum his quae dixi Suetonii verbis dissentire videtur Velleius II, 43, qui postea Caesarem pontificem factum esse scribit, *cum paene puer a Mario Cinnaque flamen Dialis creatus victoria Sullae, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium*. A quo loco proficiscens ille, qui vulgarem atque ab scriptoribus traditam de Caesaris anno natali sententiam improbat, sic ratiocinatur, cum C. Marius mense Ianuario anni 86 mortuus sit, Caesarem, si anno 100 natus esset, tredecim annos et sex menses habuisse, cum flamen crearetur, nec paene puerum, quae Velleii verba sunt, sed prorsus puerum fuisse eamque ob causam flaminem nullo pacto potuisse creari: contra, si biennio ante natus esset, annum habuisse sextum decimum, potuisse paene puerum dici, potuisse flaminem creari. Quae quam leviter disputata sint apparet. Nam quod paene puero flaminium deferri potuisse negatur, id quale sit, paulo post viderimus. Praeterea autem unum illud *paene puer* premitur, quod varie et dici et accipi posse nemo infitietur. Nam si C. Caesarem Octavianum, qui duodeviginti annos natus ad rempublicam regendam accederet, Cicero paene puerum appellabat, non sine causa virum consularem de eo, cuius aetatem minuere vellet, dixisse, aliter etiam, ubi de rep. regenda, aliter, ubi de caerimoniis sacrorum administrandis ageretur, dici debuisse intelligemus. Quare Caesarem, qui non multo post togam virilem sumpserit ac septendecim annos natus uxorem duxerit, quarto decimo aetatis anno paene puerum, non plane puerum dici non erit mirum, peribitque, quod tamquam argumentum spernendae optimorum scriptorum auctoritatis allatum est. Veruntamen in quo maxime peccatum esse iudico, dissensio illa Velleii et Suetonii, quam dixi, neglecta est, quae dissensio non in verbo tantum, quod aliter ab alio dici possit, sed in re ipsa sita est. Nam flaminium Diali Caesari ille anno 86 ineunte C. Mario VII L. Cinna II cos., hic plus quam triennio post anno 83 delatum esse scribit. Quae dissensio quoniam tanta esse videbatur, ut interpretando tolli non posset, viri summi, qui Suetonium ediderunt, huc descenderunt ut quae apud eum sunt *flamen Dialis destinatus* uncis includerent, quippe quae male huc traiecta esse existimarent, quod ipsi Drumanno hist. Rom. III, 131 ita persuaserunt, ut de errore Suetoniano dubitandum non esse putaret. Etenim non modo quae apud Suetonium ab initio vitae Caesarianae fuerant, interisse videbant, sed ipsa etiam prima verba perturbata atque ex iis, quae diversis locis fuerant, concinnata esse statuebant. Est illud quidem imprimis lubricum genus emendandi, quod eiciendo vel traiciendo continetur, quo viros doctos ut saepe delectari, ita rarissime recte uti intelligimus; sed non ii tamen sumus, qui omnem vim vel a codicibus vel adeo a scriptoribus ipsis prohiberi velimus, quare et supra Livii verba corrigenda esse facile concessimus et infra Taciti, praestantissimi scriptoris, testimonium erroris convincemus. Sed ante omnia hoc faciendum esse censemus, ut necessitas emendandi demonstretur, praesertim cum hoc loco, quo optimum codicem nihil ab iis quae traduntur, recedere

constat, nulla vitii externa suspicio reperiatur. Neque enim si quid ab initio periit, ea quae extant non recte tradita nobis esse colligere licebit. Itaque hoc potius quaerendum est, num qua ratio iniri possit, qua Suetonii et Velleii testimonia inter se concilientur, quae si invenietur, ipsa pueri vel adolescentuli Caesaris vita illustrabitur.

Iam primum aetatem constat in sacerdotibus faciendis non ita esse observatam, ut observata est in magistratibus creandis nec ullam unquam legem latam vel quo anno omnino sacerdotia capere liceret vel quo ea ordine obtinerentur. Morem tamen aliquem fuisse probabile est, qui plerumque retineretur. Itaque anno 204 a. Chr. Liv. XXIX, 38 narrat augurem creatum esse Ti. Sempronium Gracchum admodum adolescentem additque id tunc perrarum in mandandis sacerdotiis fuisse. In quo hoc, opinor, inest, Livii ipsius aetate id non raro accidisse. Hinc nullam de ea re legem fuisse discimus, nullum ne morem quidem certum ac constantem, sed cum magnus in sacerdotiis honos esse videretur, ea ita consuevisse mandari, ut pro praemiis ad viros aetate provectiores magistratibusque insignes deferrentur. Quare ne tunc quidem adolescens esset factus, nisi post tot nobilium virorum cladem, qui bello Punico perierant, inter paucos optio esset data. Quamquam postea non maior eorum fuit multitudo. Nam de anno 196 sic scribit Livius XXXIII, 42 *Q. Fabius Maximus augur mortuus est admodum adolescens, priusquam ullum magistratum caperet nec eo anno augur in eius locum est suffectus*, et de anno 180 sic XL, 42: *P. Manlius, qui nuper ex ulteriore Hispania redierat, triumvir epulo (mortuus est), Q. Fulvius M. f. in locum eius triumvir cooptatus tum praetextatus erat*, et de anno 171 sic XLII, 28 *in Fulvii locum pontifex Cn. Domitius Ahenobarbus oppido adolescens sacerdos lectus*. Quod ne iis temporibus tantum, quibus inopia virorum nobilium esset, factum esse putemus, Cicero etiam p. Sest. 69, 144 P. Lentulum Spintherem anno 57 narrat cum virili toga auguratum accepisse (cf. Dio XXXIX, 17), Caesar denique ipse pontifex factus est, antequam ullum alium honorem accepit (Vell. II, 43). De imperatorum aetate non dico, qua et numerum sacerdotum auctum esse constat et ipsa sacerdotia ex imperantium arbitrio mandari consuevisse, quam ipsam tamen tantam licentiam usurpari non potuisse existimo, nisi nulla lex, nulla certa consuetudo obstaret. Nam ex iis quae allata sunt exemplis non modo adolescentes, sed etiam praetextatos pueros sacerdotiis ornatos esse intelligimus, ut Caesari antequam virilem togam sumpsisset, idem obtigisse mirari non debeamus. Neque causa, cur anno 86 ad pueros descensum sit, non facilis est ad intelligendum. Nam cum Marianorum victoria clades magna eorum, qui in honoribus ac sacerdotiis versarentur, facta esset, multi etiam optimatum studiosi profugissent, pauci omnino supererant qui possent eligi, ipsumque flaminium Diale, tametsi caerimoniarum dignitate abundabat, in rep. vix quicquam valebat ac patriciis tantum mandari fas erat. Quare beneficium Marii necessitate magis atque inopia expressum quam insigni benevolentia videtur esse delatum.

Quamquam ut exemplis quae attuli, praetextatos creatos esse pontifices constat, ita nullum exemplum est, quod praetextatos sacerdotio functos esse doceat. Neque enim Livii verba de Q. Fulvio, quem praetextatum cooptatum esse scribit, ita interpretari oportet, ut eum postquam cooptatus est continuo sacerdotium inisse putemus, nec Cicero P. Lentulum ait postquam togam virilem sumpsit statim in collegio augurum fuisse, sed

tantum creatum eum esse populi suffragiis. Quod enim imperatorum aetate saepe factum esse audimus, ut principum filii ac propinqui designarentur vel quaestores vel praetores vel consules multo antequam eos magistratus inirent, idem in sacerdotiis accidere potuit, ut qui electi essent, dum ad maturiorem aetatem pervenirent, expectare iuberentur. Quis autem ille aetatis finis fuerit nescitur nec certum quendam aut lege aut more praescriptum aut eundem in omnibus hominibus aut sacerdotibus fuisse existimo. Flamines quidem dum matrimonium inissent expectasse censeo propterea quod etiam flaminicis opus erat. Caesarem vero, quem Velleius anno 86 ineunte flaminem creatum esse dicat, quamvis Marianus plus quam quadriennium rempublicam in potestate sua tenerent, tamen nunquam vere flaminem fuisse aut sacerdotio suo functum esse certissimum est. Etenim Dio Cassius (LIV, 36) anno 11 a. Chr. ab Augusto narrat in locum L. Cornelii Merulae, quem C. Marius interfecerat, suffectum esse flaminem Dialem, nimirum Serv. Cornelium Maluginensem, cos. anni 10 a. Chr., cui anno 23 p. Chr. Maluginensem filium suffectum esse Tacitus Ann. IV, 15 tradit. Neminem igitur inter Merulam et inter Maluginensem patrem Dio numerat flaminem Dialem, cum tamen Caesarem creatum esse constet (cf. Suet. Aug. 31), neque id licet interpretari nisi sic, ut Caesarem creatum illum quidem esse statuamus, sed sacerdotium non inisse. De eadem autem re Tacitus Ann. III, 58 tradens sic ait: *Duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum*, quo loco fuerunt, qui errorem non Taciti ipsius, sed librorum deprehendere sibi viderentur, quare alii *sex et septuaginta*, alii *quinque et septuaginta* emendarunt (vid. interpretes ad Tac. l. l. et ad Vell. II, 43). Verum cum in codice Taciteo nulla sit vitii significatio, difficile factum est, ut coniecturam illam, quamvis per se non magna sit, probemus longeque rectius eos viros doctos egisse arbitror, qui Tacitum in duobus et septuaginta annis numerandis optima ratione usum esse demonstrarent. Nam hos, qui in codice Taciteo sunt, annos retro numerando pervenimus ad annum 83, quo Suetonius Caesarem flaminem designatum esse scribit. Nescimus nos quidem, quo mense Augustus Ser. Maluginensem suffecerit aut quo mense Caesar ipse creatus sit, etiam hoc incertum est, an Tacitus quod mensium vel deesset vel superesset, neglexerit ac minus diligenti ratione instituta rotundiorem annorum numerum posuerit, sed illud constat septuaginta duos annos ad id tempus quo Caesar designatus ac paulo post sacerdotio privatus est, pertinere. Quid igitur? Si Dio Cassius Caesarem non numerat, Tacitus, quamvis non nominet, tamen numerat, num alterutrum errasse necesse est? An vero suam uterque rationem secutus est, diversam illam quidem, a vero tamen non abhorrentem, ut Caesar et fuerit quodammodo flamen Dialis et non fuerit.

Nimirum ut flamen Dialis rite constitueretur atque ad sacra accederet, tria oportebat fieri, primum ut nominaretur, deinde ut cooptaretur vel legeretur, denique ut inauguraretur atque ad sacra vocaretur. Sic enim praecipit Tacitus Ann. IV, 16, qui, ubi anno 23 p. Chr. novam legem de flamine Diali faciendo latam esse narrat, sic scribit *patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quibus unus legeretur vetusto more*. Quo loco tametsi inauguratio non commemoratur, eam tamen necessariam fuisse facile credemus reliquorumque sacerdotiorum similitudine docebimur. Vetustum hunc morem appellat Tacitus, i. e. opinor, eum, qui ab primordiis urbis obtinuerit, qui ab Augusto

reliquisque imperatoribus repetitus est. Nam medio tempore, cum libertas floreret omniaque non modo humana, verum etiam divina populi potestati tradenda esse viderentur, legem Domitiam latam esse notum est, quae ex sacerdotibus qui nominati essent, eum qui legeretur vel cooptaretur, septemdecim tribuum suffragiis creari iubebat. Quae lex cum a L. Sulla sublata esse dicatur, valuit tamen Marianae seditionis tempore, quo Caesar ad spem flaminii Dialis evectus est. Quamquam eam ad flamines faciendos pertinuisse viri docti negant (vid. I. Rubinonis quaestiones de Rom. rep. et historia p. 339), sed argumento nullo allato: sic tantum ratiocinantur, quia flamines nihil in republica valerent, nihil fuisse, quod eos populi suffragiis eligi vellent. Equidem Ciceronem de leg. agr. II, 7, 18, ubi de hac lege disputat, nullum genus sacerdotiorum excipere video; nam C. Domitium tulisse ait non modo de pontifice maximo, verum etiam *de ceteris sacerdotiis*, qui si flamines excepisset, orator id videtur aliqua ratione fuisse significaturus. Ipsa etiam quae in Caesare facta sunt, comprehensos esse flamines dupliciter docent. Qui quod a Velleio dicitur *creatus esse*, quod verbum populi proprium est, non premo, sed illud apparet, eum ab initio statim cum ad spem flaminii admoveretur, ita esse designatum, ut non cum aliis fieri posset, sed ut solum fieri necesse esset; quare, cum postea eum cooptatum esse videamus, suffragia populi, quibus eligeretur, antecessisse probabile est. Deinde Caesari flaminium ab Sulla ademptum esse dicitur eam ob causam, quod omnia, quae a Mario acta erant, irrita fierent. Quodsi pontifices nominassent, solusque pontifex maximus legisset, nullae fuissent Marii partes nec Sulla quae a pontificibus facta essent, sustulisset; accedere oportebat comitia populi, quae Sulla ut contra leges suas habita incusaret. Quae cum ita sint, legem Domitiam etiam in flaminibus faciendis valuisse intelligimus, quod si cui non placebit, multa alia in eandem sententiam ab ratione comitorum repetita disputari posse videmus, quae ne longi fiamus hoc loco praetermittimus. Quamquam illud facile concedo, exiguam eam fuisse populi potestatem, quod inter tres tantum lectio daretur, item illud, parum curasse vel populum ipsum vel tribunos plebis, ut ea potestas auferretur propterea quod flamines Diales adeo nihil in republica valerent, ut ne in senatu quidem eos esse necesse esset (Liv. XXVII, 8). Quibus autem temporibus lex Domitia observabatur, ea quae proprie una erat cooptatio, in duas rursus partes dirimebatur; praecedere enim oportebat illa ad speciem comitorum assimilata populi suffragia, sequi ipsam cooptationem, qua is legendus erat, quem populus iussisset. In Caesare igitur faciendo non tres, sed quattuor res opus erant, primum, ut cum duobus aliis ab pontificibus nominaretur, deinde ut populi suffragiis iuberetur, tum ut a pontifice maximo legeretur, denique ut inauguraretur. Iam cum eum inauguratum non esse ex eo discamus, quod nunquam inter flamines Diales numeratus est, tria relinquuntur. Ex quibus rursus duo coniungenda sunt, propterea quod, cum tres nominari oporteret, Caesar tamen unus narratur flamen esse destinatus, i. e. nominatio et populi comitia, quibus unus legi iuberetur. Quare duae res efficiuntur inter se diversae, nominatio coniuncta cum comitiis et cooptatio. Item duas res inter se tempore diversas commemorant Velleius et Suetonius, quorum verba allata sunt: ille Caesarem ait paene puerum anno 86. a Mario Cinnaque cos. flaminem Dialem creatum esse, hic eum postquam septimum decimum annum habebat, i. e. anno fere 83. flaminem Dialem destinatum. Cur igitur alterutrum errasse statuamus? Cur non suam uterque rationem habuisse videatur,

ut quamvis de uno honore et de uno sacerdotio dicerent, tamen quae ad idem sacerdotium eidem homini mandandum pertinerent, tempore dividerent, Velleiusque nominationem ac comitia, quae certam spem flaminii afferebant, Suetonius solam cooptationem vel lectionem, quae sine iis quae praecedere oportebat nulla esse poterat, commemoraret? Sic nimirum faciendum est, unde ipsius Caesaris res praeclare illustrantur praestantissimique scriptores omni erroris suspicione liberantur.

Etenim pontificem maximum, cuius in flamine faciendo si non magnae, at aliquae partes erant, tempore Marianae seditionis constat fuisse Q. Mucium Scaevolam, virum optimum, Sullae amicum, Marianorum inimicum. Quem C. Flavius Fimbria trib. pl. cum anno 86 in C. Marii funere vulnerandum curasset, paulo post ad populum accusavit (Cic. p. Sex. Rosc. 12, 33; Val. Max. IX, 11, 2). Ex quo iudicio ille nescio quo casu evasit vixitque, dum anno 83 a L. Damasippo praetore occisus est. Iam post caedem vel voluntariam mortem L. Merulae C. Marius anno 86 ineunte C. Caesarem, propinquum suum, quamvis paene puerum, cum aliis duobus per pontifices nominandum curavit, non magis singulari quadam benevolentia, ut diximus, quam inopia meliorum, deinde eum per comitia elegit, qui flamen Dialis fieret. De eo quid pontifex maximus senserit, nescitur, sed vix adolescentulo nobilissima familia genito, qui in caerimoniarum sacrorumque cultum incumbere videretur, adversabatur. Nec tamen eum pro collegio cooptare potuit, nam aetas obstabat. Itaque expectatum est, non modo dum togam virilem sumpsisset, sed etiam dum uxorem duxisset, quoniam etiam flaminicam ad sua sacra obeunda esse oportebat. Caesar autem quia spem flaminii obtinendi habebat, etiam in matrimonio ineundo sacerdotii vel legi vel mori obtemperavit. Nam Cossutiam, quae familia equestri sed admodum dives olim desponsata fuerat, dimisit, Corneliamque Cinnae consulis IV. filiam duxit, nimirum item patriciae gentis. Quo facto a pontifice maximo cooptatus vel ut Suetonius ait, destinatus est. Neque dubium est, quin Caesar expletis omnibus, quae in flamine Diale requirebantur, inauguratione mox ad sacra fuerit accessurus, nisi appropinquante ad urbem bello civili universa respublica esset dissoluta. Oppressis autem Marianis L. Sulla quia Caesari Corneliam dimittere nolenti irascebatur, flaminium ademit, ea, opinor, de causa, quod comitia, quibus electus erat, contra leges habita esse diceret. Nam nec pontificum nominationem nec certe Q. Mucii cooptationem tollere voluisset tantamque religionem ostendit, ut, cum omnia vetera restitueret, tamen nullum flaminem sufficeret. At Caesarem ipsum quantopere indoluisse putamus, cum amplissimo sacerdotio, cuius certissimam spem concepisset, subito esset depulsus! Quod si obtinisset, alium fortasse vitae cursum habuisset. Nam flaminum Dialium mens solebat tota ad caerimonias sacrorum converti, certe in rebus urbanis versabatur, ut ad gloriam militarem non aspirarent, fere etiam provincias exercitusque attingere religione prohiberentur. Quo magis ridere licet eorum virorum doctorum incredibilem prope caecitatem, qui cum rerum perpetuitatem non satis examinassent, ita de Caesare iudicarunt, ut eum prope a puero vix aliud quicquam nisi de regno populi Romani cogitasse putarent, nec viderent, vi eum ac mortis periculo ab eo, quod sibi proposuerat, depulsum eam vitae viam inisse, qua ad summam laudem ac potentiam erat perventurus. Neque hoc poterit negari, ipsam illam, quam in flaminio petendo acceperat, ignominiosam iniuriam in causa fuisse, ut adolescens ab iisdem pontificibus

allegeretur nec multo post comitiis populi pontificatum maximum adipisceretur. De vita autem eius privata etiam hoc cognoscimus, quod non traditur, quoniam omnia quae in flamine Diali esse oportebat explerat, non modo confarreatis parentibus eum esse genitum, sed etiam ipsum tali matrimonio usum. Quare uxorem Corneliam habuit, dum ea anno 68 decessit. Alteram enim uxorem Pompeiam facile ab eo ac levi de suspitione dimissam esse constat.

Veruntamen ut ad natalem annum Caesaris, in quo investigando versamur, redeamus, quid superest, unde eum contra auctoritatem scriptorum anno 102 a. Chr. collocandum esse colligamus? Nam Velleii et Suetonii testimonia inter se conciliavimus, quorum utrumque cum more Romano ceterisque quae de illo tempore traduntur optime convenire docuimus. At qui anno 102 Caesarem natum esse coniciet, quamvis Velleium si non commodo, at aliqua ratione interpretetur, Suetonii tamen testimonium contemnere cogetur: ex quo tametsi quae tradita sunt, expellet, tamen quae de matrimonio inito narrantur, interpretari non poterit, ut, qui hac vi utatur, in eas plagas incidat, ex quibus nisi per vim erumpere nullo pacto possit.

Atque haec quidem impeditiora sunt ad disputandum, quod autem apud Velleium II, 41 est *habuit fere duodeviginti annos eo tempore quo Sulla rerum potitus est*, intellectum habet et simplicem et necessarium. Nam Sulla cum anno 83 a. Chr. in Italiam invasisset, proximo anno atrocissimis proeliis Marianos ita perculit, ut exeunte eo dictator diceretur. Tum igitur rerum potitus est, quo tempore Caesar, si anno 100 natus erat, a. d. III. Id. Quinct. duodevicesimum aetatis annum explevit. Velleii igitur verba sunt accuratissima atque eiusmodi, ut nec aliter possint intelligi et idem eum de Caesaris anno natali sensisse indicent quod sensit Suetonius. Quem annum qui biennio retrahunt, si accurate dici velint, duodevicesimo aetatis anno ad annum 84 perveniant, quo tempore Sulla nondum Italiam attigit; sin parum accurate Velleium dicere malint, illum fortasse annum assequantur, quo Sulla inimicorum exercitus vincere coepit, nulla tamen celeris victoriae spe. Itaque luculentissimum hoc testimonium, quo imperatorem Napoleonem in vita Caesaris rectissime usum esse video, silentio praetereunt.

Aliam autem praestantissimi scriptoris auctoritatem eiusmodi esse intelligimus, ut cum conservari vix ullo modo possit, tamen eam ab iis, si qui forte Caesaris annum natalem proferant, adhiberi liceat, ab iis, qui biennio retrahunt, non liceat. Etenim Tacitus dialog. 34 *Nonodecimo*, inquit, *aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vigesimo Caesar Dolabellam, altero et vigesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo aetate antecedens Calvus Vatinius iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.* Quo loco numeros recte scriptos esse nec lectionem posse mutari, nisi omnia perturbari placeat, ipse ordo, quo a minore aetate ad maiorem ascenditur, docet. Erravit igitur Tacitus ipse, erravit. Nam Caesaris annus 21. in a. d. III. Id. Quinct. anni 80 ad eundem diem anni 79 incidit, quo tempore eum, ut Sullae iram vitaret, in Asia abfuisse constat. Suetonius quidem (c. 4) primum M. Lepidi seditionem, tum Dolabellae accusationem commemorat, ut haec in annum 77 conferenda sit, quo Caesar annum aetatis 23. explevit (cf. hist. nostram processus criminalis p. 485). Quid autem fiet, si Caesarem anno 102 natum esse coniciemus? Nimirum hoc, ut Tacito omnis errandi facultas adimatur.

Ita enim Caesar quinto et vicesimo anno accusationem suscepisset, nemini nimis adolescens visus esset, nullam eximiam laudem praemature ingenio meruisset, de qua laude cum Tacitus cognosset, nescio qua ratione ductus numerum minus verum posuit. Quoniam autem de adolescentia Caesaris diximus, pauca etiam de primis eius stipendiis addamus. Ea Suetonius (c. 2) in Asia fuisse scribit M. (Minucii) Thermi praetoris contubernio. Hic autem successit L. Licinio Murenæ, qui quod bellum L. Sulla in Italiam digresso cum Mithridate renovavit, tertio anno compositum esse scribit Appianus (Mithrid. c. 66), unde Murenæ triumphum ineunte anno 80 actum esse docuimus ad Cic. p. Mur. p. VIII. Thermus igitur in provinciam advenit anno 81, secum ducens Caesarem tunc undeviginti annos natum. Mansitque Caesar apud eum anno 81, cum in Mitylenis expugnandis adfuit civicamque coronam meruit, et per partem anni 79, dum ad P. Servilium Vatiā in Ciliciam transiit, quo relicto anno insequenti postquam de Sullae morte nuntiatum est, in urbem properavit. Hinc eum biennio serius quam moris erat, prima stipendia fecisse discimus: tantum tempus flaminio sperando atque expectando amiserat, quod tamen ipsum quia religionis causa acciderat, ei in cursu honorum numeratum esse existimamus.

Diximus fere de Caesaris anno natali, de veterum scriptorum auctoritatibus, de nostrorum hominum opinionibus, quibus hoc assecuti sumus, ut quid statui oporteat, non amplius dubitandum esse videatur. Superest altera disputatio, ad quam invitatus prope accedo. Est enim lubrica, incerta, summorumque virorum ingenia frustra exercuit. Verum eadem ad res non sane leves pertinet ipsaque difficultate delectationem quandam affert. Quopropter eam, quoniam cum aetate Caesaris consociata est, hoc loco non esse defugiendam putavi. Etenim tres extant nummi argentei (unus eorum etiam aureus reperitur, cf. Cohen. numm. cons. reip. Rom. p. 157 seq.), quorum unus in adversa parte habet caput velatum Vestae, reliqui duo Veneris caput corona querna ornatum. Neque enim recte hoc quidem caput Cohen. l. l. intellexit Clementiae, quod in Caesarianis nummis nusquam reperitur. In aversa autem parte eorum nummorum tropaeum est, barbaris armis extractum, quae arma quarum sint gentium certe dici non potest. Havercampius enim quod ait unum ex iis tropaeis videri esse Hispanicum, vix est probabile: simillima certe arma sunt eorum, quae Gallica esse constat, barbarum autem illum barbaturum ac nudum, qui uni tropaeo subiectus est, Gallum vel Germanum esse omnes consentient. Inscriptio autem in aversa nummorum parte est haec simplicissima CAESAR, in adversa ascripta sunt haec signa IIT. In quibus signis interpretandis viri docti in diversas sententias abierunt. Olim enim Vaillantius alique litteras esse putarunt, quas de tropaeo altero interpretabantur, quod Caesar rege Pharnace victo erexisset. Quem cum eodem loco superasset, quo olim Pharnaces ipse C. Triarium ducem Romanum profligaverat tropaeumque suae victoriae statuerat, vetus tropaeum everti nefas esse duxit suumque ei opposuit, ut et ultionem Romanorum significaret et suam gloriam augetet (Dio XLII, 48). Cui interpretationi adversari intellexerunt haec, primum litteris illis fortasse tropaea duo posse significari, tropaeum alterum non posse, deinde eas non tropaeo, sed deae capiti esse ascriptas, denique barbarum, qui cum tropaeo coniungatur, propter barbaturum non esse Ponti incolam. Haec invicta erant, quapropter Eckhel., vir intelligentissimus ac cautissimus, cum dubitandum omnino esse censeret, tamen coniecturae cuiusdam loco proposuit

hoc, pro litteris habenda esse quae ascripta essent, atque interpretanda I. IT. i. e. *imperator iterum*.

Id displicuit summo viro Bart. Borghesio, qui in *Observat. numism. dec. X*, 7 (*Oper. numism. I* p. 495) de his nummis eruditissime disputavit. Ac primum quidem duas res in Eckheliana coniectura reprehendit negavitque in ullo nummo nomen imperatoris breviori compendio notari quam tribus primis litteris IMP. Cui Coelestin. Cavedonius (in *Oper. Borghes. l. l.* p. 496) contradixit, inveniri nonnunquam etiam notam IM, nimirum in nummis L. Aemilii Bucae per ipsum bellum Caesianum signatis (Cohen. *numm. cons. II*, 15; Mommsen. *hist. rei numm.* p. 652). Verum id quidem est, sed valde tamen rarum, ut eo in coniectura vix liceat uti, neque inde recte colligas, etiam una littera I imperatorem posse significari. Ut enim compendiariae scripturae rationem in nummis constat fuisse parum certam variarique saepe, ita parum probabile est, unam lineolam esse usurpatam, quae et numerum et alia nonnulla significare posset. Deinde punctum, quo duo vocabula dirimerentur, Borghesius desiderabat, Cavedonius negligi posse putabat. Neque dubium est quin nonnunquam negligatur, velut in nummis Spurii Afranii modo S. AFRA, modo uno tenore SAFRA (Cohen. *l. l.* XLVII Afran. n. 5), in nummis Aurelii Rufi coniunctim AVRVF (Cohen. *l. l.* VII Aurel. n. 4) legitur, sed et singularia haec sunt neque nomina non magis inter se coniuncta sunt quam imperatoris titulus et repetitionis significatio. Quae Borghesius cum disputasset, ut vulgarem interpretationem ferri non posse doceret, eo pervenit, ut IIT artissime inter se connectenda et pro nota numerali accipienda esse demonstraret: numeri enim quinquagenarii antiquum signum fuisse T, unde paulatim recentior forma extitit (cf. Mommsen. *hist. rei numm.* p. 468). Itaque IIT vel TII significat quinquaginta duo vel quicquid cum eo numero cohaeret. Hinc Borghesius epocham aliquam, quae dicitur, indicari collegit, cuius initium ut inveniret, quo tempore ipsi nummi signati esse viderentur quaesivit. Tribuit autem eos assentiens Eckhelio initio belli civilis cum Pompeio gesti. Nam si antea signati essent, inveniri eos oporteret in thesauro illo nummario, qui prope Bononiam in vico Cadriano repertus est, quem thesaurum post annum 54 a. Chr. Borghesius, anno 50 vel 49 ineunte absconditum esse Mommsenus (*hist. rei numm.* p. 415) statuunt. Nec postquam Caesar republica potitus est signatos esse hoc docet, quod nec caput Caesaris additur nec ulla honoris significatio, quae ab iis nummis, quos postea factos esse constat, nunquam abest. Quare hos nummos ex eo auro argentoque, quod Caesar Romae ex aerario eripuerit, signatos esse conicit, qui si hoc loco moveantur, omnis pecuniae, quam tunc fieri necesse erat, memoria pereat. Equidem etiam coronam querneam animadverto Veneris capiti impositam, quae ad cives ab Caesare servatos pertinet, cuius clementiae nullam ei occasionem datam esse video, nisi cum mense Februario Corfinium caperet multosque et senatores et equites Romanos incolumes dimitteret. Efficitur, ut nummi, de quibus dicimus, proximis ab Aprili mensibus anni 49 signati sint. Nam mense Martio exeunte Caesarem constat in urbem advenisse aerariumque effregisse, dictatura autem a senatu circa Idus Sextiles esse ornatum, quem honorem exeunte mense Novembri in urbem reversus iniit, qua intra paucos dies abdicata Kal. Ian. alterum consulatum adiit.

Quodsi et numerum in his nummis significari constat et ipsos anno fere medio 49 factos esse (neque de his rebus dubitari potest), sequitur, ut initium numeri ab anno 101 vel 100 a. Chr. ducatur: ab illo ordiendum erit, si ab exeunte anno numeremus, ab hoc, si ineunte initium statuatur. Neque enim de ulla alia re praeter annorum seriem cogitari posse Borghesius putabat. Ex illis autem annis prior insignis est clade Cimbrorum, alter seditione Saturnini, quarum rerum haec non videbitur eiusmodi fuisse, ut ab ea numerari potuerit, illa tametsi salutem reip. attulit, tamen non magis tanto honore digna habita est. Neque enim ab alio initio nisi ab urbe condita aut a regibus exactis annorum seriem apud Romanos coeptam esse constat, neque illo biennio quicquam quod ad hos nummos pertineret factum esse invenit, nisi quod Caesar a. d. III Id. Quinct. anni 100 natus est. A quo die si proficiscamur, annus quinquagesimus alter ab anno 49 usque ad annum 48 pertinebit, quo tempore ineunte hos nummos factos esse omnes consentiunt.

Haec Borghesiana, quae explicata est, ratio fere probatur Th. Mommseno. Credit enim nummos factos esse anno 49, credit Caesaris aetatem significari: unum non credit numerari ab anno 100 a. Chr. rationemque unice ita convenire ait, si initium ab a. d. III Id. Quinct. anni 102 ducatur. Nam paulo plus quam 52 annos natum Caesarem patriae bellum intulisse. In quo vereor, ne vir doctissimus in nodum inexplicabilem incidat. Nam vulgo de aetate hominis dupliciter dici licet, ut aut annum qui agatur numeremus aut expletos annos, quarum rationum utram sequamur, significare solemus. Sed annorum numerandorum haec una ratio est, ut numerentur qui agantur. Velut annus primus ab urbe condita est is qui agitur, qui postquam peractus est, numeratur secundus similiterque ab regibus exactis computatio fit, multarumque civitatum Graecarum sunt nummi, in quibus qui notatur annus, is ab eo initio quo quaeque utitur, agitur. Quare si Caesarem anno 102 natum esse conicias numerumque, qui in nummis est, ad eius aetatem referas, is annus dicatur, qui fuit ab a. d. III Id. Quinct. anni 51 ad eundem diem anni 50, quo tempore hos nummos signari potuisse neque reliqui existimant neque Mommsenus ipse statuit.

Satis hoc erat ad argumentum, quo coniectura de Caesaris anno natali confirmabatur, elevandum, quo adempto cum nullum aliud superesset, omniaque quae traduntur cum eo anno, qui a scriptoribus significatur optime convenire docuissemus, eo, quod huic commentationi propositum erat, poteramus videri esse defuncti. Sed ultra progredi cupio nummorumque ipsorum, si modo fieri poterit, interpretationem adiuvare. Neque enim Borghesiana commentatio non impugnata est intelligentissime a Celestino Cavedonio, viro et rei nummariae peritissimo et eruditionis exactissimae. Is (in *Bullett. Inst. arch.* anni 1840 p. 39 sq.) duabus de causis eam sibi displicere ait. Primum enim aetatem Caesaris in nummis notari miratur, antequam tot ei ac tanti quos mox obtinuit honores sint decreti, certe non potuisse notari antequam mensis ex eius nomine Iulius appellaretur, id quod anno 45 a. Chr. factum esse constat cum 55 aetatis annos haberet. Quod argumentum quale sit, minus intelligo. Nam aetatis notatio quid cum dictatura, quid cum consulatibus, quid cum aliis honoribus ita habet commune, ut decernendi tempore separari non potuerit? Deinde numerum ipsum indicari ait, non annos significari, quemadmodum in illis nummis Romanis fiat, in quibus unis aetas hominis significari videatur, quos nummos alio pertinere paulo post docebimus. Quasi vero quidquam intersit inter

annos hominis et inter annos aliarum rerum, quos saepe solo numero, nulla anni significatione indicari constat. Quodsi quis Graecos nummos, a quibus hanc consuetudinem manasse probabile est, conferat, plures certe inveniat, in quibus sola numeralis nota reperiatur quam in quibus annus vel addatur vel significetur.

Quamquam erat, quod Cavedonius merito dubitaret, qui cum alios viros nummorum peritos tum ipsum Borghesium admodum timide ad illam interpretationem accessisse videret. Nullum enim est exemplum aetatis hominum in nummis notatae praeter unum illud, quod in M. Antonii IIIviri reip. const. nummis reperiri putatur, quod ipsum alio pertinere paulo post demonstrabimus. Quare Eckhel. (Doctr. numm. VI, 40) cum hos Antonii nummos ita interpretaretur, incredibile prope est quantopere metuat ne somnia magis quam quod in scientia nummaria positum sit proferre videatur. Neque Borghesius cum usum in nummis novum esse dissimulabat, sed Antoniano tantum illo quod diximus exemplo confirmabat. Quod si veriore explicatione exemerimus, rursus illa novitas tantum valebit, ut si quid aliud offeratur, id sine dubitatione praeferre debeamus.

Quae cum Cavedonius magis sentiret quam aperte dicere auderet, confugit ad Plinium nat. hist. VII, 91, qui ubi viros virtute aliqua vel corporis vel animi insignes enumerat, C. Caesaris sic mentionem facit: *Idem signis collatis quinquagens dimicavit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragens dimicaverat. Nam praeter civiles victorias undeciens septena et XCII m. hominum occisa proeliis ab eo non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis iniuriam, quod ita esse confessus est ipse bellorum civilium stragem non prodendo.* Nam sic edi nunc solet, sed Solinus p. 29 (ed. Momms.) habet *signis collatis quinquages et bis dimicavit*, quod idem in vetere codice Delecampii repertum est, unde cum multae et praestantissimae lectiones prolatae sint, vix dubium erit, quin haec quoque recipienda sit. Hunc victoriarum numerum Cavedonius his nummis celebrari ait. Eo enim non modo ipsum gloriari consuevisse, sed eundem ab aequalibus ac posteris praedicari, eamque ob causam cum initio belli civilis militum animi confirmandi esset, in iis nummis, qui stipendii causa signarentur, esse inscriptum. Quae coniectura quin ingeniosa sit, quis dubitat? num vera sit, magnopere quaeritur. Obiiciunt enim (cf. Cohen. numm. cons. p. 157) consuetudinem nummorum, in quibus talia solo numero significari posse negant, exemplum quidem simile non extat. Deinde Plinius utrum Gallicas tantum victorias numerat easque quae ante bellum civile partae erant, an civilia etiam bella complectitur? Illud potius existimat Cavedonius eamque ob causam nummos hos, qui ante bellum civile signati esse viderentur, ad solas illas victorias Gallicas referebat. Neque tantum numerum etiam praetermissis bellis civilibus effici potuisse negabimus. Consuetudo enim illa imperatorum Romanorum, ut victorias numerarent, ut proelia, ut urbes captas, ut hostes occisos, ut summam pecuniae captae, ut nihil denique quod ad magnitudinem rerum gestarum demonstrandam pertineret, tacerent, mire Caesaris tempore floruit, a Pompeio, opinor, maxime usurpata, cuius titulos Plinius recenset. Qua in gloriatione difficile erat ad iudicandum, quid commemoraretur, quid omitteretur, ipsaque Plinii verba, qui de signis collatis dicit, incertiores habent intellectum. Quare, si Appianus (bell. civ. II, 150; cf. Celtic. n. 2) Caesarem ait in Gallis solis tricenis signis collatis ipsum dimicasse, dum quadringentos populos subigeret, nonne reliquas

viginti duas victorias, quae ad numerum Plinianum desunt, effici licebit iis victoriis, quas legati pepererunt, vel quas ipse adversus Germanos et Britannos, fortasse etiam Hispanos deportavit. Itaque Plinius ipse quam rationem secutus sit, certis vestigiis examinare non possumus; sed hoc tamen non videtur esse dubium, quin omnium bellorum victorias numerarit. Caesarem enim cum M. Marcello comparat, totam eius vitam comprehendit opponitque numerum hostium bellis Gallicis occisorum. Accedit, quod, cum Caesarem noluisse narret numerum civium per bella civilia interfectorum computari, ipsas tamen has victorias numeratas esse intelligimus. Quae cum ita sint, interpretatio Cavedoniana demonstrari non potest pugnatque cum rei nummariae consuetudine. Neque id Cavedonius dissimulavit addiditque, si cui numero illo omnes Caesaris victoriae comprehendi videantur, posse nummos illos etiam ad annum 46 vel 45 a. Chr. referri, in quibus quod honores tacerentur, modestiae cuidam esse tribuendum. Ita sua ipse coniectura deserta eo rursus devenit, ut ab intelligentissimorum virorum iudicio desciscat, vel quod nusquam alias factum sit statuat.

Verum redimus ad Borghesianum illud, quod commemoravimus, si numerus numerorum annos significet ipsique facti sint medio anno 49, nihil posse reperiri, quod in republica acciderit, dignum quidem, quod nummis celebretur. In quo vereor, ne vir summus ex iis magis quae tradita, quam ex iis quae gesta sint iudicavit. Est enim iniquissima illius temporis condicio, quod maximae res, quae tum gestae sunt, quia scriptores tot tantique perierunt, parum nobis notae sunt, quarum modica cognitio multiplici saepe coniectura supplenda est. Itaque cum de origine provinciae Galliae Narbonensis varie disputatum esset, ipsi eam anno 100 a. Chr. institutam esse olim docuimus (in stud. Rom. p. 22), et quidem argumentis, ut videbatur, non modo probabilibus, verum necessariis. Neque nunc cum in iisdem saepe rebus versati simus, eam sententiam mutavimus parumque moti sumus dubitationibus, quas Ern. Herzog Galliae Narbonensis provinciae Romanae historia p. 63 protulit. Quas cum inanissimas ac magis dubitandi quam veri inveniendi causa motas esse videam (neque enim scit quid sit provincia Galliamque cum nondum suae provinciae ius haberet, minus tutam ab hostibus fuisse censet quam cum ab reliqua Italia seiuncta esset, neque intelligit, quid fuerit, cur C. Marius totiens consulatu ornaretur, denique ipse vix quicquam affert) illa vero cum parum probabiliter disputata esse videam, manebimus nimirum in eo, quod effecisse videmur, ut anno 100 a. Chr. provinciam Galliam Transalpinam institutam esse existimemus. Neque magis Ioach. Marquardt. (de republ. Rom. I, 110) opinio, quae nuper prolata est, probabitur. Qui cum testimonium de provinciae institutae tempore desiderari concedat, tamen Galliam Narbonensem in suae provinciae ius redactam esse putat paulo post annum 121 a. Chr., quo Q. Fabius Maximus cos. Allobroges ingenti victoria superavit. Nam quod Caes. bell. Gall. I, 45 populum Romanum ait victis ignovisse neque eos in provinciam redevisse, hinc de provincia Narbonensi tunc cogitatum eamque paulo post institutam esse colligit. In quo recte fortasse iudicaret, si Caesar Narbonensem provinciam nominaret: nunc ex quo coniectura fit, id ipsum coniectura efficitur. Quidni enim Caesar dicat Italiam, cum qua Avernos et Rutenos coniunctos esse neget? Nam Italia tunc non minus erat provincia, quam reliquae, quae peregrinae erant. Nascuntur hae pravae de Gallia coniecturae ex errore virorum doctorum,

qui quid provincia fuerit et quomodo tunc Italia regi consuerit, minus intelligunt. Quodsi certum testimonium extaret, dubitari non posset: nunc ex C. Marii consulatibus, quos nulla alia ratione explicari licet, Narbonensem provinciam anno 100 institutam esse perspicimus. Quid igitur, si numerus nummorum, de quibus quaerimus, ad hanc Galliae provinciae institutionem pertinet? Nonne et quod cum more Romano et quod cum consuetudine nummorum praeclare congruat, statuere videamur? Notum enim est, provincias ex eo tempore, quo in imperium Romanum receptae sunt, annos numerare consuevisse, qui mos coeptus a Graecis vel Asiaticis provinciis, imprimis a Syria, propagatus est non modo ad Aegyptios, qui ex quo die Romanorum facti sunt, novam annorum seriem in-ceperunt, verum etiam ad reliquas provincias, ut Daciam et Hispanias et Numidiam annos provinciae habuisse constat. Qui mos, si longius excurrere liceret, multis posset illustrari, nunc ex iis quae Eckhel. Doctr. numm. IV, 396 disputavit, satis intelligitur. In nummis autem hanc annorum rationem imprimis esse usurpatam ex multarum civitatum nummis constat. Quare in Gallia Transalpina nummisque qui eo pertineant, si qui numerus reperiatur, eum ad tempus, quo primum provincia condita est, referre vix dubitabimus. Neque enim si nullum aliud huius rationis vestigium superest mirum est, siquidem huius temporis vix nummi alii, vix monumenta lapidibus inscripta reperiuntur. Nec multo post ipsa provincia vetus Transalpina, quae et ante Caesarem et eius aetate fuerat, periit. Quae cum per universos Gallorum populos propagata esset, non amplius unius proconsulis imperio contineri posse videbatur traditaque est pluribus praesidibus, quorum historiam, quantum in tanta veterum monumentorum tenuitate fieri potuit, in studiis Romanis nostris l. l. persecuti sumus.

Neque cur Caesar anno medio 49 a. Chr. in nummis suis signum, quod ad provinciam Galliam pertineret inscribi voluerit obscurum est. Nam cum in Italiam irrumperet, cum Pompeium expelleret, cum urbe potiretur, nullam aliam habebat legitimam potestatem praeter proconsularem, in consulatu delatam. Senatus decreverat ille quidem succedendum ei esse novosque et Transalpinas et Cisalpinas Galliae praesides elegerat, sed quia huic senatusconsulto tribuni plebis intercesserant, Caesar ipse nihil ex legibus actum esse putabat atque ex lege vetere Cornelia provincias, dum successores advenissent retinebat. Neque novam ei potestatem antequam legatos Pompeii in Hispania vicit, delatam esse constat. Quare, cum urbe occupata argentum aurumque signaret, quid in nummis inscriberet? Nimirum idem, quod antea inscripserat, cum in provincia esset. Cuius generis nummi extant, in quorum adversa parte est caput Veneris, in altera tropaeum cum solo nomine Caesaris. Eademque inscribenda curavit occupata urbe fugatoque Pompeio; adiecit coronam querneam, ut cives a se conservatos esse testaretur, et numerum anni, quem provincia sua tunc ageret, quo ipso signo potestatem, qua ornatus pecuniam faciendam curasset, indicaret.

Restat ut de M. Antonii nummis, qui commemorati sunt, quaeramus, de quibus eo magis dicendum esse putavimus, quod, ut de interpretatione iudicabitur, tamen et eorum tempus Caesarianis propinquum et argumentum certe non dissimile est. Nummi igitur extant argentei, parum eleganter facti pretiique non magni (nam quinarium sunt), sed inscriptionibus quas habent insignes interpretationisque tam difficilis, ut cum

virorum doctorum ingenia varie exercuerint, tamen nondum explicationem satis probabilem invenerint. Eorum nummorum duo sunt genera. Unum in adversa parte habet victoriam alatum, quod quinariorum Romanorum commune insigne est, in aversa leonem gradientem cum hac inscriptione LVGVDVNI · A · XL. Alterum genus adversae partis eandem habet effigiem, praeterea haec inscripta IIIVIR · R · P · C, in adversa eundem leonem gradientem cum hac inscriptione ANTONI · IMP · A · XLI. Vide Cohen. numm. cons. Ant. 20 et 21, Eckhel. doctr. numm. V, 38, Boissieu Inscr. antiq. de Lyon p. 126. Hos nummos utrosque cum eiusdem loci ac temporis esse appareat, Lugduni factos esse ipsa quae in altero genere est inscriptio docet, cuius urbis nomen cum initio fuisset Lugdunum, postea correptum esse Dio Cassius XLVI, 50 tradit. Leonis autem insigni M. Antonium, eum qui IIIvir fuit, uti consuesse ex multis rebus notum est (Eckhel. D. N. V, 44). Nam genus suum ab Hercule deducebat eiusque et specie et virtute se simillimum esse gloriabatur. Quare quod in alteris nummis obscurius significatur, eos in honorem vel iussu M. Antonii esse signatos, id in alteris nomine ipso adiecto apertissime indicatur. Prorsus igitur utriusque nummi non modo forma ac pretio, verum etiam insignibus ac prope inscriptionibus inter se conveniunt eodemque tempore facti sunt. Nam quod in unis dignitas imperatoris triumviratusque additur, in alteris omittitur, id qui rei nummariae peritus erit, non ita interpretabitur, ut diversitatem temporis efficiat eosque, in quibus imperator et IIIvir appellatur, post foedus Bononiense, quo imperatorium titulum et triumviralem potestatem accepit, reliquos, in quibus utrumque abest, antea factos esse putet. Casu enim haec titulorum et omissio et adiectio regebatur prope eodem, quo in alteris civitatis nomen addebatur, in alteris negligebatur, vel, si non casu, iis certe causis, quas quaerendo invenire non possimus.

Ac tempus quidem, quo hi nummi signati sunt, intra angustum sane spatium definiri licet. Nam Lugduni totaque provincia Lugdunensi anno 44 a. Chr. imperasse constat L. Munatium Plancum, qui a dictatore Caesare praefectus erat, constat item anno 43, cum bellum Mutinense gereretur, quo tempore Lugdunenses M. Antonii, qui hostis reipublicae esset, nomen nummis inscribere nullo modo possent. Exeunte demum anno 43 postquam inter Lepidum et Antonium et Caesarem Bononiae de republica opprimenda convenit, Lugdunensis provinciae imperium ad Antonium transiit eaque res sic acta est, ut societate clam inita IIIviri separatim urbem intrarent, Caesar consulari, reliqui duo proconsulari potestate praediti, tum lex de IIIviratu instituendo ferretur eaque continuo perlata IIIviratus iniretur, tum rursus continuo exercitus ac provinciae IIIviris dividerentur. Quare cum IIIviratum a. d. V Cal. Dec. initum esse constet, si quantum temporis ad rerum urbanarum nuntios in Galliam perferendos opus est, adieceris, efficietur, ut ante ipsum initium anni 42 nec M. Antonii potestas ulla in civitate Lugdunensi fuerit nec nummi ibi eius insigni inscribi potuerint. Extinctum autem est M. Antonii in Gallia imperium ineunte anno 40 a. Chr., cum Caesar bello Perusino confecto Q. Fufii Caleni, qui Antonii per Gallias legatus fuerat, exercitum ad partes suas traduxit universaque provincia potitus est (App. bell. civ. V, 51), quam vi obtinuit, dum pace Brundisina etiam iure regere coepit. Ita intra biennium fere continemur, quod neutri ex his, de quibus disputamus, nummis excedere possint.

Quamquam haec quidem, quae diximus, et facilia sunt ad intelligendum nec cuiquam visa sunt esse dubia. Neque minus illud est vel probabile vel certum, quam publicam monetae et argenteae et aureae officinam Strabo IV, 192 suo tempore Lugduni esse narrat, eam ab M. Antonio esse institutam, quae cum institueretur, Lugdunenses, quod oppidum suum augeri reliquisque Gallorum civitatibus praeferrere viderent, beneficii memoriam his ipsis, qui extant, nummis celebrarint. Veruntamen quae iusta interpretatione careant, supersunt paucae litterae, in unis nummis A · XL, in alteris A · XLI, quae quo pertinere videantur, hac quaestiuncula persequi statuimus. Quamquam ne haec quidem omnes obscurae sunt. Nam littera A quid aliud significare potest nisi annum? Quae si ommitteretur, tamen eum qui superesset numerum de annis intelligi liceret. Nam in Graecis nummis, unde Romani pendent, cum anni indicantur, vocabulum *ετος* constat non minus saepe omitti quam adici. Nunc cum littera A, quae nullam aliam interpretationem admittit, adsit quique plenior inscriptionem habent nummi eum, qui quadragenarium proxime insequitur numerum praebeant, nihil dubium relinquitur, quin anni, quorum numerus certo ordine procedit, indicentur. At qui anni dicantur, viri docti ambigunt. Nam quae olim de M. Antonii patre, qui cum Galliae Narbonensis legatus esset, beneficium nescio quod in Lugdunenses contulisse putabatur, excogitata erant, ea referre nihil attinet satisque refutata sunt ab Eckhelio, viro diligentissimo. Qui qua erat in iudicando sapientia, nihil ipse, quod aut certum aut probabile esse statueret, protulit, hoc unum in exitu disputationis addidit, si quod esset exemplum, quod eius, cuius nomen vel insigne nummus haberet, commemorari etiam aetatem doceret, se his litteris M. Antonii aetatem indicari esse existimaturum; neque enim quod de natali eius anno tradatur, a principio quadraginta annorum in nummis notatorum distare.

Haec opinio quamvis timide prolata placuit tamen cum aliis viris doctis tum Bartolomaeo Borghesio, viro nummorum antiquorum peritissimo. Qui tametsi quam ea esset incerta non dissimulabat, quoniam nullam aliam interpretandi rationem inveniebat, eo processit, ut in nummis Caesarianis, quos modo explicavimus, simile exemplum annorum natalium in nummis notatorum deprehendere sibi videretur ac peculiarem quandam consuetudinem temporisque Caesariani propriam nummorum signandorum efficeret. Nos quidem cum nummos illos rectius intelligendos esse docuerimus, atque ita intelligendos, ut nec ab iis, quae de Caesare traduntur nec a consueto more nummorum recedemus, quoniam unum quod afferri potest simile exemplum sustulimus, longe aliter de his Antonianis sentire necesse est. Hoc etiam iure nostro videmur postulare, ne, quod coniecturae loco a viro eruditissimo cum magna dubitatione prolatum est, tamquam certum cupide arripiatur, in quo si qua esset probabilitas, ea ab Eckhelio ipso non esset neglecta. Subit denique animum nostrum illa cogitatio, quam lubrica ac periculosa sit ea ratio, qua coniecturam coniectura confirmes, quae ratio eiusmodi est, ut quo longius disputando progrediare, eo magis ab eo, quod verum est aberrari necesse sit. Dicemus autem de nummis Antonianis dupliciter, primum ut eam quae nunc placere solet, interpretationem falsam esse doceamus, deinde ut veriorem, quae cum nummorum consuetudine conveniat, proponamus.

Etenim hanc communem nummorum consuetudinem qui earum rerum periti sunt, plurimum valere sciunt. Quae aetatis annos significari utique vetat. Nam apud Graecos quidem cum plurimarum rerum anni in nummis numerentur, modo regnorum, modo originis, modo magnarum, quae publice acciderunt, mutationum, aetatis anni nunquam inscribuntur quaeque olim fuerat cuiusdam de nummis Pythodoridis, Ponti reginae, opinio sane mira, ea dudum explosa est (Eckhel. D. N. II, 371). Itaque Graeci, qui vix quicquam quod novum inveniri posset, reliquerunt, Romanis eam consuetudinem non tradiderunt, qui si ipsi Caesaris aut Antonii tempore invenissent, cur imperatores, qui et adulationis cupidi essent et rerum suarum omnium memoriam propagare cuperent, non usurparunt? Nimirum inepta ea fuisset consuetudo aliaque est hominum, qui aetatem degunt, ratio, alia earum rerum, quae aliquo merito nostro conservantur nec qui vitae annum explevit, ipse laudatur, sed dei in eum beneficium praedicatur. At regno vel urbi vel iis omnino, quae humana opera efficiuntur, cum annus additur, ii, quorum ea sunt, non iniuria celebrantur. Quamquam quaedam etiam aetatis in nummis commemoratae ratio per se non improbanda potest cogitari, nimirum haec, si quis praeter aetatem vel adolescens sapientiam virilem vel senex robur iuvenile ostenderit, id quod Alexandro Magno, Augusto, aliis imperatoribus accidit, qui si qua eiusmodi consuetudo recepta fuisset, eam non videntur fuisse praetermissuri. Sed id cum per se non sit absurdum, nusquam tamen reperitur: adeo omnis aetatis in nummis notandae ratio ab more vetere abhorrebat. Qui si fieri pateretur quod licuisse negavimus, quid, quaeso, in M. Antonii anno aetatis quadragesimo esse poterat, quod insigni laude dignum esse videretur? Qui annus in republica Romana nunquam valuit, nullum honoris aut dignitatis gradum habuit, nihil vel addebat vel detrahebat. Continuari vero aetatis annos notarique etiam quadragesimum primum prorsus contra rei naturam erat.

Verum ut haec quae universe disputantur, in quibus dubitatio aliqua superesse posse existimetur, relinquamus, ad ipsum M. Antonium accedamus, cuius natalis annus si in eum incidat, a quo quadragenarius numerus horum nummorum repetendus sit, tamen nescio quid quod scientiam nostram fugiat, latere videatur. Quos nummos quoniam ante annum 42 a. Chr. signari non potuisse docuimus, faciamus ipso illo incunte esse signatos quadragesimumque quem praebent annum mense Martio vel Aprili exisse, id quod tametsi propter eam causam, quae postremo demonstrabitur, minus est simile veri, ideo facimus, ut quod ad natalem annum retrahendum commodissimum est, concedamus. Hoc unum praemittimus, quod iam supra p. 20 expositum est, cum in vulgari oratione aetatis significandae duae sint rationes, ut aut expleti anni numerentur aut ii, qui agantur, in nummis non posse esse nisi hanc alteram unam. Quare ei, quo hos nummos signatos esse constat, anno undequadraginta anni adiciendi sunt efficieturque, ut si eos ad M. Antonii aetatem referamus, ille anni 81 mense Martio vel Aprili natus sit.

Iam duo scriptores veteres de M. Antonii aetate tradunt. Nam Appianus (bell. civ. V, 8), ubi de eius cum Cleopatra consuetudine narrat, sic scribit, eum, postquam reginam Tarsi in Cilicia cognovit, statim adolescentuli more incredibili cupiditate exarsisse, quamvis quadraginta annos natum. Qui si unus de scriptoribus veteribus Antonii aetatem commemoraret, res confecta esset. Convenisse enim eum cum Cleopatra Tarsi constat

aestate anni 41 a. Chr., quo si quadraginta annos addas, ad ipsum illum, qui in nummis significatur, annum 81 a. Chr. pervenias. Est etiam optimus auctor Appianus atque imprimis in historia bellorum civilium fide dignissimus. Crederemus igitur Antonium natum esse anno 81 a. Chr. obscuramque aliquam causam subesse coniceremus, cur eius aetas nummis Lugdunensibus celebraretur; certe enim hoc efficeretur, ut celebrari posse videretur. At dissentit magnopere Plutarchus, qui tametsi in multis saepe rebus Appiano cedit maximeque dum mores animumque exequitur, temporis ordinem negligit, tamen unus Antonii vitam scripsit, unus quae de eo apud auctores repererat, retulit. Is igitur postquam de morte narravit, de aetate dupliciter tradi ait (Ant. 87): alios enim ei plus quam sex, alios plus quam tres et quinquaginta vitae annos tribuere. Haec cum Appiano vel biennio vel quinquennio discrepant. Nam cum Antonium Cal. Aug. anni 30 a. Chr. perisse constet, vel ad annum 83 vel ad annum 86 a. Chr. pervenitur. Quid igitur statuemus? Extollemusne Appiani, elevabimus Plutarchi auctoritatem, illum de bellis civilibus optime tradidisse, hunc indignum esse censebimus, cui in temporum rationibus quicquam credatur, denique tollendi dissensus causa hunc, qui ab Appiano dissentiat, tamquam gladio resecaimus resectumque abiiciemus? At tollatur ita dissensus, verum quod est vix inveniatur. Neque enim quo pacto Plutarchus errare potuerit intelligitur. Qui si tempora nonnunquam minus curat, at hoc loco mala fide usus esse putaretur. Neque enim quod aut ipse ratiocinando invenerat refert aut tempore disiuncta coniungit coniunctave separat, sed alios auctores, Antonianae vitae enarratores, laudat, de quibus cur aut erraverit aut male tradiderit, nulla causa videtur esse. An vero leniore hoc remedio utemur, ut Appianum aetatis annos accurate indicare voluisse negemus? Hoc eum egisse, ut contra humanam naturam narraret M. Antonium, cum quadraginta annos haberet, tamen adolescentuli more Cleopatram deperisse. Potuisse igitur facile vel biennium vel triennium negligere, quod sive accederet sive detraheretur, nihil de immatura Antonii cupiditate deminui. Itaque cum alter scriptor aetatem accurate voluisset tradere, alter noluisset, nec quaeri, uter fide dignior esse videretur nec dissensum ullum relinqui. Haec ratio quin non modo simplicior, verum etiam rectior sit, dubitari non debet, efficiturque, ut historicorum testimonia Antonium IIIvirum vel anno 83 vel 86 a. Chr. natum esse tradant neque hos, de quibus dicimus, nummos de aetatis annis explicari patiantur.

Verum cum duplex haec de Antonii aetate supersit auctoritas historica, utra verior esse videatur, difficile dictu est. Nihil enim ex eius rebus ita traditur, ut aetatis annus addatur, nullus honorum gradus ita commemoratur, ut certum vitae annum cum eo coniunctum fuisse colligere possimus, neque apud ipsos veteres quicquam eiusmodi notum fuisse video, quod si fuisset notum, de aetate eius nulla dubitatio existere potuisset. Illud unum intelligo, Antonium quamquam postea mira fortuna evectus est, in adolescentia multis magnisque vicissitudinibus conflictatum diu iacuisse nec mature ad eam, quam nobilitas pateretur, dignitatem pervenisse. Inops enim pater erat ac mala fama utebatur. Itaque postquam tandem ipse emersit atque cum C. Caesare adolescentulo amicitiam iniiit Cleopatraeque insano amore exarsit, fieri potuit, ut quia minus ab eorum aetate distare cupiebat, triennium celaret falsamque de natali anno suo famam propagaret, neque ea vanitas a moribus eius abhorret. Sed hoc nec testimoniis persequi neque argumentis

demonstrare licet: Appianus quidem, qui Antonium quadraginta annos natum Cleopatrae se dedidisse narrat, quin eos, qui eum quinquagesimo quarto aetatis anno perisse trahebant, secutus sit, non est dubium. Quod autem Plutarchus eum exacto anno decessisse scribit, ita verum esse intelligimus, ut paucos menses ad expletos aetatis annos adiecerit. Nam dies eius natalis fuit fere ineunte anno. Qui tametsi vivente ipso cum in urbe tum per Asiam, cui imperabat, cum magna sollemnitate celebrari solebat, tamen nobis non traditur. Damnata enim est publice memoria nec si quid in fastis olim fuerat, Augusto imperante conservatum est aut ad nos pervenit. Neque scientiam nostram auget Suetonius (Claud. 11), qui Antonii diem natalem eundem fuisse scribit Drusi, eius, qui Augusti privignus fuit. Nam ne hic quidem qualis fuerit scimus. Sed Plutarchus (Ant. 74) narrat, cum Antonius et Cleopatra pugna Actiaca victi in Aegyptum redissent eamque adversus Caesarem defenderent, reginam, ut IIIviri animum excitaret, suum ipsius diem natalem sine ulla sollemni laetitia praetermisisse, sed illius natalem prope insequentem publico Alexandrinorum epulo celebrasse. Pugna Actiaca IV Non. Sept. anni 31 acciderat, secuta est fuga, secuta Antonii in Africam expeditio, secutae legationes ad Caesarem, secuta multa alia, quae vel fugae vel belli causa suscipiebantur, ut haec natalicia mense vel Februario vel Martio celebrata esse Antoniusque cum Cal. Aug. occideret, tres vel quattuor menses supra eos quos explerat, annos vixisse videatur.

Quae cum ita sint, periit unum illud exemplum, quo qui in hoc genere doctissimi sunt, aetatis annos antiquis vel Caesaris certe Augustique temporibus in nummis indicari demonstrabant: quare et intelligitur, quam nos necesse fuerit in nummis Caesarianis, de quibus supra disputatum est, interpretandis ad ea, quae cum nummorum consuetudine conveniant, confugere et hoc loco quaerendum erit, an horum Antonianorum similis explicatio possit inveniri. Nam eandem interpretationem utrique nummi non patiuntur: Caesarianis ad eum annum deducimur, quo Romanorum arma in ea ipsa quae Caesaris tempore fuit provincia plurimum valuerunt, Antonianorum numeris ad annum 81 a. Chr. pervenimus, quo Lugdunum ipsum ac Lugdunensis provincia vix nomine nota erant. Itaque ad provinciae Lugdunensis institutionem hi nummi referri non possunt. Nam Caesar demum dictator eam suscepit. Nec de regno, quod tunc institutum sit, cogitari debet, quale nec tum apud gentes Gallicas fuit nec si fuisset, Romanorum nummis celebrari potuit. Unum relinquatur, si nummorum consuetudo utique conservanda est, ut annum 81 ad ipsam civitatem Lugdunensem referamus, quae cum a Romanis insignem in modum aucta sit, quod ipsi ante Romanorum imperium acciderat, etiam Antonii aetate celebrare potuisse videatur.

Etenim de origine eius civitatis illustris est locus Dionis Cassii XLVI, 50, qui sic scribit, cum bellum in Italia esset metuereturque, ne M. Lepidus et L. Plancus cum exercitibus, qui in Gallia erant, irrumperent, senatum iis imperatoribus negotium dedisse, ut homines olim Vienna, quae in Gallia Narbonensi est, ab Allobrogibus expulsos, qui ad confluentes Rhodani et Araris consederant, in oppido collocarent: quod negotium illos, non quod senatui obtemperare cuperent, sed quod belli Mutinensis exitum expectarent, ita executos esse ait, ut oppidum, cui nomen Lugudunum vel postea Lugdunum fuit, conderent. Quae cum sola de nobilissimae civitatis origine tradantur, imprimis diligenti

interpretatione examinanda sunt: quae qui ita explicabit, ut eam quae postea Lugduni fuit, coloniam tunc deductam esse putet, sine dubio errabit. Primum enim coloniam militibus Romanis effectam esse constat, anno autem 43 a. Chr. cum bellum Mutinense gereretur omnesque imperatores certatim exercitus auferent, L. Munatius et M. Lepidus potius videntur fecisse, ut veteranos in coloniis constitutos evocarent quam ut novos colonos constituerent. Deinde in nobili illo L. Planci titulo Caietano Plancus narratur in Gallia colonias deduxisse Lugdunum et Rauricam. Id ita dupliciter cum Dionis eo quod citavimus testimonio dissentiret. Nam is et Planco et Lepido communiter a senatu negotium datum esse scribit de Lugduno condendo nec Rauricam commemorat. Quare qui utrumque ad eandem rem referre volet, et in titulo illo statuere debebit Lepidum taceri et a Dione Rauricam non recte omitti: quorum neutrum cum sit probabile, potius existimabimus, de alia re dici in titulo, de alia narrare Dionem, atque olim in comment. nostris epigraph. I, 371, cum de colonia Lugdunensi disputaremus, parum recte nos iudicasse ipsi fatemur. Hinc efficitur, ut colonia quidem Lugdunensis postea videatur esse constituta, i. e. ut Augustus postquam victo Antonio solus rerum potitus est Galliamque Lugdunensem componere coepit, L. Plancum iusserit veteranos legionum Romanarum et Lugdunum et Rauricam deducere. Unde haec quidem colonia cognomen Augustae accepit.

Duo igitur vel tria oppidi Lugdunensis tempora cognita sunt. Quorum novissimum fuit illud, quo anno 26 a. Chr. auctore Augusto per legatum eius L. Plancum veterani deducti sunt, alterum, cum anno 42 officina monetae auctore M. Antonio constituta atque hi, de quibus disputamus nummi signati sunt, tertium denique anno 44, de quo Dio Cassius narrat. Quo tempore quid factum esse putamus? Nimirum illud, quod Dio tradit, veteres incolas in oppidum esse coniunctos. Antea enim Gallicum fuerat oppidum, barbaro more aedificatum, leviter munitum, cuius locus cum Romanis ad defendendam novam provinciam opportunus esse videretur, senatus id iussit Romano more exornari, imprimis muris instrui, tum domibus iustis, theatro, foro, aliis rebus, quas in Romano oppido opus esse arbitrarentur. Constituti fortasse etiam sunt, qui aliunde collecti erant, incolae ac respublica certa lege composita. Verum quartum tempus civitatis Lugdunensis fuisse ipse Dio significat, nimirum illud, quo vere orta atque ab hominibus incolae coepta est. Raro enim Romani nova oppida condiderunt fereque quae ab aliis inventa ceperant, suo more excoluerunt. Quid igitur? Si ad hanc Lugdunensium originem hos nummos referamus annoque 81 a. Chr. prima nobilissimae coloniae fundamenta condita esse statuamus, nonne et solitam nummorum consuetudinem conservemus et a more veterum civitatum non recedamus et denique maximae urbis primordia illustremus?

Coniecturam hanc esse scimus et eam quae certis argumentis demonstrari non possit. Neque enim praeter Dionis locum, qui citatus est, quicquam de tantae antiquitatis re non magna traditur. Sed probabilitatem tamen assequi licet veritati ipsi prope parem. Etenim Dio ait Lugduni inter Segusiavos consedissee eos, qui aliquando (ποτέ) ab Allobrogibus Vienna expulsi essent. Qui homines quales fuerint nescimus. Poterant enim alienae gentis esse bellicae iure victi patria expelli: poterant etiam eiusdem gentis esse ac domestica dissensione orta patriis sedibus eiici. Utraque ratione quomodo inimicitiae illae, quas etiam postea inter Lugdunenses et Viennenses fuisse constat, extiterint satis

intelligitur nec Viennam necesse est semper fuisse Allobrogum metropolim. Sed qualescunque fuerunt, si a Planco et Lepido muros oppidumque Romano more exornatum acceperunt, Romanorum eos nomini atque imperio fuisse colligimus: quare eos postquam Romani Allobrogum populum in potestatem redegerunt, expelli non potuisse intelligimus. Neque enim ab Romanis, sed ab Allobrogibus, i. e. eo tempore, quo ii sui iuris essent, narrantur esse expulsi. Iam Allobroges Caesar bell. Gall. I, 6 scribit nuper esse pacatos, non victos modo ac tributum pendere coactos, sed ita in potestatem redactos, ut pacem servarent: quod ex quo tempore accidit, Lugdunenses expelli non potuisse videmus. Proximum autem antequam Caesar Gallias accepit, bellum adversus Allobroges fuerat anno 62, cum C. Pomptinus praetor Ventiam et Solonium expugnavit universamque gentem ad deditionem redegit, item anno 66, cum C. Calpurnius Piso, Transalpiniae praetor, ita Allobroges superavit, ut eorum pacificator apud Cic. ad Att. I, 15 appellaretur. Quare post hoc tempus, quo Vienna ipsa capta est, ii qui Lugdunum condiderunt, ab Allobrogibus expelli non potuerunt. Sed eosdem nec continuo ante nec multo ante expulsos esse probabile est. Illud si factum esset, Romani eorum iniuriam uli essent expulsosque restituissent: sin Lugdunenses circa annum 120, cum Q. Fabius Allobroges primum ingenti victoria superavit, vel C. Marii tempore eiecti essent, Romani anno 43 tam veteres res neglexissent. Nonne igitur annus 81 a. Chr., ad quem horum nummorum interpretatione ea, quae a nobis proposita est, deducimur, magnam quandam ex auctorum quamvis levibus testimoniis probabilitatem habet, ut eo Lugdunenses Vienna ab Allobrogibus expulsos celeberrimae civitatis fundamenta iecisse existimemus? Praeerat tunc provinciae Narbonensi C. Valerius Flaccus (Stud. Rom. p. 45; Ern. Herzog Gall. Narb. histor. p. 64), qui tametsi victorias quasdam atque imperatorium titulum deportavit, magis tamen cum gentibus Hispaniae vicinis quam cum iis, quae ad Rhodanum habitarent, videtur pugnasse.

Executi sumus quod nobis propositum erat, ut de dictatoris Caesaris et die et anno natali diceremus, de quibus dum disputamus, videmur et alia quaedam, quae obscuriora erant, explicasse et nummorum insignium, qui varias virorum doctorum dubitationes movissent, interpretationem adjuvisse et denique non modo maximae provinciae initium, de quo ambigebatur, confirmasse, verum etiam nobilissimae civitatis eam quae ignorabatur, originem patefecisse. Adiciamus quo duo illa quae postremo loco commemorata sunt de Narbonensis provinciae initio et Lugdunensis civitatis nataliciis etiam Romano tempore celebratis, eximie illustrentur. Etenim tempore non multum distat Aegypti expugnatio, quam postquam Caesar Augustus capta Alexandria interfectisque primum Antonio, deinde etiam Cleopatra imperio Romano adiecit, senatus ab Dione Cassio LI, 19 narratur dupliciter decrevisse, primum ut is dies, quo Alexandria capta est, tamquam festus celebraretur, deinde ut ab eodem initium annorum numerandorum duceretur. Ex his duabus rebus prior ad victoriae memoriam pertinebat, alteram quam ob causam decretam esse arbitramur? Nimirum senatus putabat fore, ut regnum Aegypti in provinciae formam redigeretur ac quam consuetudinem in reliquis provinciis esse videbat, eandem ad Aegyptios transferri iubeat. Ipsius urbis Alexandriae natalicia non mutabantur. Neque enim Romani Alexandro, conditori eius, irascebantur aut Caesar ipse quicquam de honore eius

detrahi cupiebat: quare natalicia urbis si antea sub regum dominatione publice agi solebant, qua de re nihil notum est, certe non minus acta sunt, postquam imperatores in regum locum successerunt. Illud tantum addi placebat, ut, quoniam regno sublato populi Romani imperium institutum erat, novorum annorum initium haec institutio praeberet. Haec nonne eorum, quae supra de Lugdunensi civitate et de Gallia Narbonensi disputata sunt, ita sunt similia, ut Romanorum et quae tunc communis de provinciis instituendis consuetudo fuerit appareat et quae in conservanda veterum, dummodo ne hostilium, rerum memoria clementia perspiciatur? Quamquam quae senatus de Alexandria et Aegypto decreverat, non facta sunt. Nam diem illum, quo Alexandria capta est, i. e. Kal. Augustas, perpetuo celebratum esse constat (Ideler. Chronolog. vet. I, 154): at annos provinciae unquam aut Alexandriae aut in Aegypto numeratos nec nummi nec ulla alia monumenta habent. Itaque viri docti eius rei memoriam forte intercidissee existimant: equidem potius quod senatus decreverat, non factum esse censeo. Neque enim Augustus Aegyptum in provinciae formam redegit, sed in imperatoris patrimonio quasi privato esse iussit. Quare ne annos quidem ullos provinciae numerari, sed imperatorum, ut olim regum veterum, regna et definiri et significari voluit.